





DISCURSUS

Theologicus,

DE

Regimine Ecclesiastico.

In quo prisca & Apostolica Ecclesiam gubernandi ratio  
adstruitur; Papalis verò Primatus & Monarchia, ex immotis  
Scripturarum fundamentis, & antiquis historiarum monu-  
mentis destruitur.

CONSCRIPTVS,

ET

Sub Præsidio

*Reverendi & Clarissimi Viri,*

**D. N. IOHANNIS GE.**

**ORGII SIGWARTI, S. S. THEO.**

log. Doctoris ac Professoris, Ecclesiæ Tubingensis

Pastoris & Superintendentis dignissimi, Præcepto-  
ris sui plurimum honorandi;

*Ad Disputationem publicam, Die 18. & 19. Decembris  
in Aulâ novâ habendam,*

PROPOSITUS

à

*M. BALTHASARE MEISNE-*  
*ro, Dresdensi.*

BERNHARDUS L. II. CONSID.

*Forma Apostolica hæc est; Dominatio*

*interdicitur, indicitur ministratio.*



TUBINGÆ,  
TYPIS CELLIANIS.

1610.

5.

3.  
20.

613



V I R I S

A M P L I S S I M I S

E T P R U D E N T I S S I M I S,

Reipublicæ Dresdensis Consulibus &  
Senatoribus,

*Dominis & Meccenatibus meis eter-  
nùm honorandis,*

DEDICO CONSECRO QUÈ

*M. BALTHASAR MEISNE-  
rus, Dresdensis.*



Epomis Sodomorum ex Naturalis Historiæ Scriptoribus re-  
fert B. *Augustinus* l. 22. de *Civ. Dei* c. 5. ea quoad externam spe-  
ciem formosissima esse, & suavissimorum fructuum opinionem  
aspectantibus ingerere; sed quæ imprimùm contrectentur, digi-  
tisquæ attingantur, ibi protinus in cineres favillasquæ abire, &  
penitus evanescere. Haud absimilis ratio mihi videtur esse  
Romanae Ecclesiæ, in quâ sedet *filius perditionis*, extollens se su-  
pra omne id, quod colitur, aut quod dicitur *Deus*, 2. *Thef.* 2. vers. 3. &  
4. Etenim si externam eius faciem, præsertim illam coordina-  
tionem & subordinationem membrorum, atque ab uno capite  
visibili dependentiam, humanæ rationis oculo intueamur, certè non vulgarem pul-  
chritudinem promittere, sed optimi regiminis ideam animis considerantium imprimere  
videtur. Talis enim in eâ observatur conferruminatio, tum imorum cum mediis, tum  
mediorum cum summis, & contrà, ut quâ parte, vel etiam minutissima exorbitatio quæ-  
dam tentetur, continuò totum corpus commoveatur, omnesque ad resistendum & re-  
nitendum, velut impetu factò, coeant & concurrant. Et quemadmodum in totius mundi  
œconomia nihil magis admirabile occurrit, quàm ista indivulsa secundarum causarum cum  
prima connexio: sic & idem ordo Papatui, & Politia Romanae decorem afferre videtur  
maximum. Est ibi *primum & summum moventis*, quod tantum movet, non movetur, Pon-  
tifex nimirum Romanus: sunt *intermedia*, quæ tum movent, tum moventur, ut Cardina-  
les, Episcopi, aliique officiales Romanae curiæ: sunt *ima & ultima*, quæ tantum moventur,  
non movent, ut sex infima Clericorum, Monachorum, totusque chorus Laicorum.  
Hos inter si quispiam à superstitione prisca deviet, mentemque meliorem assumere  
tentet, res statim desertur ad Episcopum vel Generalem, ab hoc ad Cardinalium Colle-  
gium,

gium, & inde ad movens summum & ultimum, Pontificem Romanum. Qui cum potestate absoluta sit armatus, nisi omnia statim ad nutum fiant, Vejovis ad instar fulmen vibrat Excommunicatorium. & à corpore idololatræ præcindit omne id, quod veritatem magis diligit, quàm mandata hominum. Atque sic unitas fidei Romanæ conservari, & subditi in officio contineri videntur optimè. Verùm quantumvis hæc politia, & gubernandi ratio multorum oculos fascinet; tamen si vera fateri voluerimus, nil aliud, quàm *pomum Sodomiticum* est. *Exterius speciem habet, interius cineres & favilla sunt.* Etenim si digito Dei tangatur, hoc est, iuxta sacrosanctum Scripturæ canonem examinetur, & cum prisca praxi Apostolica cõferatur, evanescet omnis illa formositas, abibit decus, & nil nisi cineres, vel exigua, aut planè nullæ antiqui Apostolici regiminis reliquæ apparebunt. Cum enim indubitatum sit, eam demum verè optimam Ecclesiæ gubernationem esse, quam Christus ipse præscripsit, quam Christi Apostoli commendarunt, & primitiva ab Apostolis plantata Ecclesiæ observavit; utique hinc judicare erit facilimum, quid de Primatu Romano & Monarchia Papali, adeoque tota hiererchia Pontificali sentiendum sit. Quia n. Christus servitium indixit, dominatum omnem interdixit; quia Apostoli primatum neglexerunt, non introduxerunt; quia Ecclesiæ primitiva à Monarchico regimine abstinuit, & Aristocraticum unicè adhibuit: exinde istam Monarchicam Papalemque gubernationem Ecclesiæ, non optimam aut præstantissimam regiminis formam esse, in victa consequentia colligitur. Quoniam verò antecedens omninò inficiantur Pontificii, quippe perpetuò gloriantes de primatu, à Petro, & in Petro Pontificibus Romanis concessio, propterea ex immotis Scripturarum fundamentis, & antiquis historiarum monumentis nullitatem & vnitatem primatus tam Petrini, quàm Romani demonstrare, easque demonstrationes positionibus certis inclusas ad disputationem publicam proponere volui, quò sic antiqua Aristocratica Ecclesiæ gubernatio defenderetur, tyrannis autem Pontificia, & extrema Iesuitarum impudentia, omnibus veritatis studiosis, ante oculos manifestè poneretur. Has verò assertiones Theologicas Vestro. Viri **CONSULES & SENATORES** Prudentissimi, Mecœnates magni, Amplissimo nomini inscribere & dedicare tum volui, tum debui. Qua enim benevolentia meos & semper complexi fueritis, & adhuc cõplectamini, inrer eos autem præcipuè venerandum Senem, Dn. *M. Balthasarem Meisnerum*, vestram per multos annos Archidiaconum, & Præconem verbi fidelissimum, Parentem meum omni observantia colendum, sine gratitudinis stimulo recordari nequeo. Quin & ea à vobis olim in me indignum collata sunt beneficia, ut nisi publicum & solenne gratitudinis signum erexerim, severam meritò animadversionem incurrerem. Accedit heroicus vester erga religionem verè Lutheranam Zelus, erga strenuos veritatis confessores favor; quorum consideratione non potui non in spem erigi certissimam, fore, ut hanc meam compellationem Ampl. VV. animo sint acceptura benevolo. Quod ergò firmiter spero, id ipsum porrò devotè oro, nimirum, ut hunc discursum meum Theologicum, de quæstione gravi & ardua institutum, declarandæ gratitudinis ergò Vobis inscriptum, serena fronte suscipiatis, sinu paterno foveatis, & me, mea que studia, ad nominis divini gloriam, & patriæ salutem unicè directa, in posterum quoq; Vobis semper commendatissima habeatis. Deus Vestro, Viri *Amplissimi*, adsit regimini, ut in Ecclesiæ veritas, in Repub. pax & tranquillitas vigeat, Vobisque & civibus vestris felix vitæ longævitas, & tandem in coelis expectata beatitas contingat. Ita precor, ita civitati vestræ, & universæ patriæ meæ, ex animo semper opto & voveo.

*Scriptum Tubinga Domin. I. Adventus, Anni, c. l. o. l. o. c. l. X.*

Annu-

Annunte Christo Jesu,  
Summo & unico omnium fidelium

Capite,

DISCURSUS

THEOLOGICUS,

DE

Regimine Ecclesiastico.

THESIS I.



*Quod* B. Augustinus l. 1. de Civit. Dei c. 7. de insperata hostium barbarorum clementiâ, soli Christo & Christiano nomini tribuendâ olim pronuntiavit, istud non immeritò de summo quoq; reformationis Ecclesiasticæ, vel revelationis Antichristi beneficio, his ultimis mundi temporibus exhibito, constanter usurpo: Quisquis non videt, cœcus est; quisquis videt, nec laudat, ingratus; quisquis laudanti reluctatur, insanus est.

I I.

Erat su-ribus seculis miserrima Ecclesiæ facies, dum Numen istud Tarpei, Pompifex Romanus, ( ut à Berengario vocabatur ) auditoria Theologica erroneis opinionibus, templa Diabolicis superstitionibus, loca penè omnia cucullatis suis Monachis replebat. Leges Ecclesiasticas figebat, resigebat; Scripturas Canonicas pro arbitrato exponebat, mutabat; Sacrosancta Magistratus Politici jura violabat, & in omnia Christiani orbis territoria, in omnium fidelium tam animas, quam fortunas, summum sibi imperium, audaciâ & tyrannide plus quàm Cyclopica, sub specioso, attamen ementito vicariatus, & successionis Petrinæ titulo, rapiebat & usurpabat.

I I I.

Hanc verò miserandam Ecclesiæ sortem ab Alto respiciens Dominus, excitavit tandem, post diuturnas tenebras, Virum & ardenti pietatis Zelo, & excellenti doctrinæ sacræ notitiâ instructissimum, Megalandrum nostrum Lutherum, & post eum alios fidos, doctosq; pastores, quorum operâ & ministerio effectum, ut populus, qui ambulabat in tenebris, videret lucem magnam, & habitantibus in regione umbræ mortis lux oriretur splendidissima Esa. 9. v. 2.

A 3

4. Ete-

## DISCŪRSUS THEOLOGICUS

### I V.

*Etenim revelata jam sunt fraudes Papales, patent ejus blasphemā dogmata, utpote omnia, vel ad calefaciendam culinam, vel ad ampliandam curiam excogitata. sordescunt apud multos traditiones, marcescunt nundinationes, & floccifiunt Excommunicationes Vejovis istius Romani, ita quidem, ut plurimi, antè ad pedes prostrati, nunc sincerè approbent effatum istud Græcarum Ecclesiarum, quo Pontifici, obedientiam efflagitanti, responderunt in hunc modum: Potentiam tuam summam erga subditos tuos firmiter credimus; Superbiam tuam summam tolerare non possumus; Avaritiam tuam satiare non valemus; Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum. Refert Johannes Mandevilla l. 1. c. 17.*

### V.

*Intelligit enim qui vis, sacras Scripturas mediocriter saltem doctus, eum, qui se per multa secula Patrem Patrum, & caput, & sponsum, & fundamentum Ecclesie appellavit; qui se vicarium Christi, successorem Petri, & Principem Sacerdotum jactitavit; verè esse filium perditionis, & Antichristum illum magnum, toties in Scripturis prædictum, & à S. Patribus hinc inde descriptum, quem verus Ecclesie Sponsus & Redemptor, ob electorum suorum salutem, hoc postremo mundi ævo perspicuè revelavit, & Spiritu oris sui potenter interfecit, 2. Thessalon. 2. v. 8. Stat enim jam ad judicandum Dominus, & stat ad judicandos populos: Dominus ad judicium venit cum senibus populi sui, & principibus ejus, (nempe fidei Evangelii ministris) Vos enim (Pontifices Romani) depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra, Esa. 3. v. 13. & 14.*

### V I.

*Qualiter verò ad magnum hoc revelationis beneficium sese habent alii, vino meretricis Babylonice ebrii, & ex his moderni præsertim Esauite? Cæci sunt, ingrati sunt, insani sunt. Cæci, quia istud non vident, nec videre volunt: Ingrati, quia pro isto Dominum laude debitam non prosequuntur: Insani, quia nobis laudantibus, modis, quibus possunt, omnibus reluctantur, in id annitentes unice, ut Antichristianum solium stabiliant, & primatum Romanum in Ecclesias reformatas denuò introducant.*

### V I I.

*Quò verò isti homines sunt callidiores, & in propugnandam Monarchiam Papali occupatiore, eò & nos convenit esse diligentiores, ut ignominia & opprobrium scorti Romani reveletur, & prisca illa Ecclesie administratio, à Christo præcepta, ab Apostolis usurpata, à Patribus purioris Ecclesie commendata defendatur, tyranni quæ ista Pontificum, quæ certissimum Antichristi documentum, perspicuè demonstretur & masculè refutetur.*



## VIII.

Quod ipsum licet à plurimis orthodoxis Theologis dudum sit præstium, tamen quia & nova quotidie effinguntur sophismata, & eorundem de iisdem scriptio Ecclesie, valde est proficua, Philip. 3. v. 1. ideo ad debitam DEI mei laudem, veritatis agnitæ confirmationem, & Antichristi Romani ignominiam, principalem istum & maxime controversum de Regimine Ecclesie, articulum breviter repetere, præcipuaq; argumenta contra primatum Romanum in theses consicere, & ad disputationem placidam proponere decrevi.

## IX.

Ne verò ἀμεθόδως istud fiat, & capita diversissima confundantur, rem omnem sequentibus questionibus inclusam exhibebo: Prima erit de vero & genuino controversie statu. Secunda, An Monarchicum regimen omnium sit præstantissimum? Tertia, An Ecclesia Veteris Testamenti *ἡ ἀρχαία* fuerit gubernata? Quarta, An Christus tempore visibilis conversationis in terrâ, more Papati Monarcha fuerit? Quinta, An Christus voluerit Ecclesiam totam ab uno Episcopo, adeoq; Monarchicè gubernari? Sexta, Num Ecclesia Apostolica & primitiva ab Oecumenico quodam Episcopo fuerit gubernata? Septima, Quando, quo modo, quibusve mediis, Monarchia Papalis in Ecclesiam fuerit introducta? Octava, Num universalis Ecclesie gubernatio vel Pontifici Romano permitti, vel alii cuiquam, jure humano deferrî possit aut debeat? Et quia nullo modo regimen Ecclesie Monarchicum esse posse demonstrabitur, tandem, Nona & ultima questio ipsius regiminis Ecclesiastici formam, quod nimirum Aristocraticum esse debeat, breviter expediet. Tu verò nunc adesto mihi Deus meus, quem quæro, quem diligo, quem corde & ore, & quâ valeo virtute, laudo atque adoro. August. in præfatione libelli de contemplat. Dei.

## Questio Prima.

## De vero &amp; genuino controversie statu.

## X.

Ut perspicuè & evidenter ipsum dissensionis punctum animadvertatur, quatuor hic exponam, 1. terminos problematis, 2. τὰ μὴ ζητούμενα, 3. verum questum, & 4. discrepantes Ecclesiarum sententias.

## XI.

Terminorum qui hic occurrunt præcipuè sunt quatuor, 1. Ecclesia, 2. regimen Monarchicum, 3. Aristocraticum, 4. Democraticum. Hec enim summa est futura dissertationis, An regimen

DISCURSUS THEOLOGICUS

Ecclesie debeat esse vel Monarchicum, vel Aristocraticum, vel Democraticum? *Prælibanda igitur est horum terminorum notitia, antequam ad ipsum conflictum deveniatur.*

X I I.

*Ecclesia, ἀπὸ τῆς ἐκκαλεῖν (ab evocando) dicta, accipitur 1. vel pro ipso ἐκκλησιαστικῷ seu templo, in quo homines congregantur, ut Deut. 23. v. 1. Iud. 20. v. 2. Psal. 67. v. 27. Threno. 1. v. 10. 2. vel pro ipsis hominibus congregatis. Hi vicissim vel illegitimè sunt congregati, & dicitur Ecclesia malignantium, Psal. 26. v. 5. vel legitimè, & notat 1. conventum hominum politicum, ut Actor. 19. v. 39. 2. conventum Ecclesiasticum, seu cœtum hominum, religionis causâ congregatorum.*

X I I I.

*Hic autem constat, 1. vel ex solis pastoribus & senioribus, quos sensu vox Ecclesia accipitur Matth. 18. v. 17. Scholastici nominant Ecclesiam repræsentativam. 2. vel ex solis auditoribus, ut Act. 20. v. 28. quos sensu solemus distinguere inter gregem vel Ecclesiam, & pastorem gregis seu Ecclesia. 3. vel ex pastoribus, auditoribusq; conjunctim, quæ significatio est & usitatissima, & hujus loci propria.*

X I V.

*Porro autem Ecclesia ista, ex pastoribus & auditoribus constans, rursus dispescitur in particularem & universalem. Particularis Ecclesia notat, 1. cœtum unius familiæ, ut 1. Cor. 16. v. 19. Coloss. 4. v. 15. 2. cœtum unius civitatis, ut Actor. 11. v. 26. 12. v. 1. Apoc. 2. v. 1. 8. 12. 3. cœtum unius provinciæ, ut Act. 9. v. 31. Rom. 16. v. 1. 1. Cor. 16. v. 19. Verùm de nullâ particulari Ecclesiâ, ejusq; regimine hic πρώτως instituitur questio.*

X V.

*Universalis Ecclesia vel ἀπὸ πάντων, vel κατὰ πᾶσι talis est. Ἀπὸ πάντων universalis notat cœtum omnium fidelium, sive jam in patriâ sint, & in cœlis triumphant, sive adhuc in viâ, & in terris militant, ut Ephes. 2. vers. 23. 5. v. 32. κατὰ πᾶσι universalis notat, 1. universum cœtum Christianorum triumphantium, quo sensu nonnulli interpretantur dictum Eph. 5. v. 27. 2. universum cœtum Christianorum militantium, ut 1. Tim. 3. v. 16. & vel in Veteri, vel in Novo Testamento viventium.*

X V I.

*Atq; hanc postremam significationem primariò intendimus in controversiâ præsentis de Regimine Ecclesia. Non enim de ἐκκλησιαστικῷ, non de Ecclesiis particularibus, non de Ecclesiâ absolutè universali, non de triumphantem, non de militante Veteri, sed unice de totâ & universâ N. T. Ecclesiâ questio nostra instituta est.*

17. Nunc

## XVII.

Nunc ut ad reliquorum terminorum *ἐκ τῶν* descendam, sensus eorundem ex politicâ disciplinâ notus est. Regimen enim Monarchicum cōmuniter esse putatur, quando penes unum summa rerū laudabiliter est, vel, uti definit Marfilus Patavinus in Defensore pacis part. 1. c. 8. m. p. 29. Monarchia est temperatus principatus, in quo dominus est unicus ad cōmune conferens, & subditorum voluntatem sive consensum. Huic opponitur Tyrannis, quæ principatus vitiatus est, in quo dominatur unus ad conferens proprium, præter voluntatem subditorum. Aristocraticum verò regimen est, cū optimates præfunt laudabiliter, cui opponitur oligarchicum, in quo dominantur aliqui ditiorum seu potentiorum ad utilitatem non publicam, sed privatam. Democraticum deniq; est, in quo civis quilibet participat aliquantulum principatu, juxta modum tamen, facultatem & conditionem suam.

## XVIII.

Cognitis jam terminis, porro sciendum, tria esse, quæ non ingrediuntur quæstionem nostram, sed ab utraque parte pro certis & indubitatis habentur. 1. quòd Ecclesia non sit inordinata & indisposita quædam hominum congeries, ubi cuilibet liceat quodlibet, & istud Cyclopicum obtineat, & δὲ εἰς ἑδὲν ὁ ἀναξίτητος. Est enim Ecclesia corpus mysticum, in quo omnia membra aptissimo ordine coherent, Rom. 12. v. 5. 1. Cor. 10. v. 17. 12. v. 27. Eph. 1. v. 23. est regnum, Matth. 25. v. 1. est civitas, Matth. 5. v. 14. est templum, 1. Cor. 3. v. 16. est domus Dei, 1. Tim. 3. v. 15. est terribilis, velut castrorum acies ordinata, Cantic. 6. v. 9. quæ epitheta omnia Ecclesie non tribuerentur, nisi benè disposita esset, & ordinatè administraretur.

## XIX.

2. Quòd Ecclesia habeat universalem quendam Monarcham, & ab eo etiam gubernetur Monarchicè, nempe Christum Iesum, qui ἀρχιπρωτὸς dicitur, 1. Pet. 5. v. 4. & caput Ecclesie sue, Eph. 1. v. 22. Col. 1. v. 18. & fundamentum, 1. Cor. 3. v. 11. & sacerdos summus, Heb. 7. v. 21. 24. Hic absolutam habet potestatem & jurisdictionem in omnes, hic Ecclesiam suam gubernat, propugnat, propagat, aliisq; veri Monarchæ officiis perfungitur, ita quidem, ut ratione Christi Ecclesiasticum regimen, Monarchicum esse, non saltem fateamur lubenter, sed & ipsi defendamus acriter.

## XX.

3. Quòd optimo & præstantissimo regiminis modo administrari debeat Ecclesia, non saltem à Christo, sed etiam à Christi ministris,

B

in

## DISCURSUS THEOLOGICUS

in Ecclesiâ visibili versantibus. Etenim ille non omnia immediatè peragit, sed dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in edificationem corporis Christi, Eph. 4. v. II. & 12. Cùm igitur & hi sint positi regere Ecclesiâ Dei, Act. 20. v. 28 concedimus haud inviti, quòd & iste ministerialis regendi modus optimus esse debeat, & talis omninò, qui ad Ecclesie utilitatem & salutem promovendam sit accommodatissimus.

### X X I.

In his ergò tribus consonantia Protestantium & Papicolarum est manifesta: quòd si autem ulterius quarendo pergamus; Quis sit ille optimus regendi Ecclesiam modus ministerialis? Num necessarium prorsus, ut univèrsa Ecclesie unus quidam praeficiatur generalis & aspectabilis Episcopus, qui omnibus per totum terrarum orbem dispersis fidelibus praesit, apud quem unum summa & spiritualis & secularis sita sit potestas, ita ut & iste à nemine hominum judicari, & ab isto ad neminem appellari liceat, sed omnibus eius decisionibus & sententiis immutabiliter standum sit? ibi tum maxima oritur opinionum dissonantia.

### X X I I.

Etenim nostra & omnium Protestantium Ecclesiarum hæc unanimitas fides & doctrina est, quòd Ecclesia nunquam meliùs gubernari & conservari possit, quàm si omnes sub uno capite, quod est Christus vivamus, & Episcopi omnes, pares officio (licet dispares sint quoad dona) summâ cum diligentia conjuncti sint unanimitate doctrinae, fidei, Sacramentorum, orationis, & operum caritatis, sicuti S. Hieronymus scribit, sacerdotes Alexandriae communi operâ gubernâsse Ecclesias. Et Apostoli idem fecerunt, ac postea omnes Episcopi in toto orbe Christiano, donec Papa caput suum super omnes attolleret. Ex articul. 4. part. 2. artic. Smalcald. m. p. 314.

### X X I I I.

Quapropter neq; de jure divino, neq; de jure humano ullum aliud caput, ullum alium Monarcham Ecclesie agnoscimus, quàm solum Deum ac Servatorem nostrum, Christum Jesum, ideoq; Papam Romanum defacto quidem sibi potestatem in Ecclesias rapuisse, & longo tempore usurpasse; hoc autem in summam veritatis & conscientiarum perniciem cessisse, eaq; de causâ de solio ipsum deturbandum, & Ecclesiarum gubernationem ad antiquum Apostolicum, & primis seculis usurpatum modum Aristocraticum esse vicissim adstringendam, sanctè credimus, docemus & confitemur.

## XXIV.

Econtra verò Papicolæ, non contenti uno summo capite Christo, Ecclesiam fingunt πολυκέφαλον, & illi præter Christum etiam præficiendum dicunt aspectabilem quendam Pontificem & Monarcham, qui in universâ Ecclesiâ principatum obtineat, & pastoribus omnibus superintendat: atq; talem, sive Monarcham, sive Tyrannum, adeò putant esse necessarium, ut nec unitas Ecclesiæ, nec veritas doctrinæ, nec salus fidelium queat absque illo diutius consistere.

## XXV.

Hinc Petrus Canisius in suo Catechismo, & Bellarm. lib. 3. de Ecclesia. c. 2. istam sub Pontifice visibili congregationem, essentialem Ecclesiæ partem notamq; statuit. C. 5. disertè scribit; Neminem posse, etiamsi velit, subesse Christo, & communicare cum Ecclesiâ cœlesti, qui non subest Pontifici. Addit rationem hanc: Uti Christus est summum caput quoad influxum interiorem; ipse enim influit in sua membra sensum & motum, h. e. fidem & caritatem: Ita Papa in Ecclesiâ militante est summum caput quoad influxum exteriorem doctrinæ, fidei & Sacramentorum. Quin & ipse Papa Iohannes XXII. Extravag. de Majoritate cap. Unam Sanctam, clarè definit & pronuntiat, omninò esse de necessitate salutis, omnem humanam creaturam subesse Papæ Romano.

## XXVI.

Antequam v. hanc Episcopi & Presulis sui Romani Monarchiam inferant, per multos gyros & ambages te circumducunt. Primum enim ex politicorum libris multum rhetoricantur de optimo regiminis modo, qui non sit alius, quam Monarchicus, id quod Bellarminus & Gretserus lib. 1. de Pont. Rom. c. 1. 2. 3. & 4. fusè probare annuntiant. Quo politico & Philosophico στοιχείω præsupposito, subsumunt, Ecclesiam esse optimum regimen, unde invidiam conclusionem sibinectere videntur, cœtum fidelium non Democraticè, non Aristocraticè, sed tantum Monarchicè esse gubernandum, de quo Bellarm. agit l. 1. à c. 5. usque ad 10.

## XXVII.

Quòd si autem ipsis concedatur Monarchica Ecclesiæ administratio, ratione summi ἀρχιποιμένου Christi, statim confugiunt ad anilem istam distinctiunculam capitis primarii & vicarii, eò quòd etiam Deus in Vet. T. summus quidem Ecclesiæ suæ Rex & Monarcha fuerit, nihilominus tamen ad meliorem controversiarum decisionem, caput etiam aspectabile, nempe Pontificem vel Sacerdotem summum constituerit, ad quem in casibus dubiis universa multitudo conflueret, & ad eius iudicium appellare consueverit.

## DISCURSUS THEOLOGICUS XXVIII.

Si verò ipsis respondeatur, quòd Leviticus iste Pontifex typus saltem fuerit summi sacerdotis Christi, quo jam Ecclesiam presenter gubernante, non sit opus novo alio typico Pontifice; paratam denuò habent exceptiunculam, nempe Christum à terris nunc abesse, & aspectum alloquiumque suum subtraxisse, ideoq; Apostolo Petro claves & imperium Ecclesie commisisse, ut ipse sui vice imperaret, omnemq; ligandi, solvendi & disponendi potestatem tum haberet, tum exerceret: id quod à c. 10. l. 1. usq; ad finem demonstrare nituntur famosi isti Jesuitæ Bellarminus & Gretserus.

### XXIX.

Atque ut tandem De astri sui absolutam Monarchiam concludant, porro istud assumunt, sedem suam Pontificalem Apostolum Petrum non habuisse alibi, quàm Romæ, ubi etiam per 25. annos Ecclesiam œcumenicam gubernaverit, & commissam potestatem Papalem usurpaverit, de quo per priora undecim capita l. 2. disputat Bellarminus.

### XXX.

Quantumvis autem presupposita hæc omnia sint falsa & fabulosa, pergunt tamen illi, Monarchiam Ecclesiasticam A. Petro è vivis sublato, non unà periisse, sed quendam Petri successorem & eligi debuisse, & electum fuisse, qui quidem quivis alius Episcopus præter Romanum esse potuisset, ex Petri tamen factò, Romæ, non alibi, sedem figentis, ortum traxisse hoc, ut in universali Ecclesie præfecturâ, & vicariatu Christi non succedat, aut succedere amplius queat Episcopus alius, quàm Romanus, ita quidem, ut qui jam eligitur Episcopus Romæ, eo ipso sit Pontifex summus Ecclesie totius, etiamsi fortè id electores non exprimant: de quibus omnibus videatur Bellarminus à c. 12. l. 2. usque ad finem.

### XXXI.

Atq; tot falsa & mendacia necessum est, ut cumulentur, priusquam emergat ista Papalis Monarchia, sic, ut quod Poëta olim de gente, id etiamnum hodie de Papa Romano aptè pronunciarì possit & debeat;

Tantæ molis erat Romanum condere Papam.

### XXXII.

Porro autem ut manifestius fiat, qualem isti homines Pontificem requirant, quam Monarchiam urgeant & intelligant, duo duntaxat considerentur; 1. honorarii Veiovis istius tituli. 2. potestatis atq; jurisdictionis termini. Titulos quod spectat, Bellarminus lib. 2. cap. 31. quindecim eorum recenset, esse nimirum Episcopum Romanum, 1. Papam, 2. Patrem Patrum,

DE REGIMINE ECCLESIASTICO.

7

Patrum, <sup>3</sup> Christianorum Pontificem, <sup>4</sup> summum sacerdotem, <sup>5</sup> principem sacerdotum, <sup>6</sup> vicarium Christi, <sup>7</sup> caput corporis Ecclesie, <sup>8</sup> fundamentum aedificii Ecclesie, <sup>9</sup> pastorem ovilis Domini, <sup>10</sup> Patrem & doctorem omnium fidelium, <sup>11</sup> Rectorem domus DEI, <sup>12</sup> custodem vinee DEI, <sup>13</sup> sponsum Ecclesie, <sup>14</sup> Apostolicae sedis Praesulem, & denique <sup>15</sup> Episcopum universalem. Satis certe honoris, sat dignitatis pro primo.

XXXIII.

Deinde verò quod jurisdictionem Episcopi Rom. attinget, taliter describunt eam parasiti & adulatores, ut omni dignitati, tum Regie, tum Imperatorie, longè anteponant, & divinae majestati ferè equiparent. Bellarminus, qui adhuc modestior reliquis, per totum librum quartum defendit, & probare tentat, summam & infallibilem omnium controversiarum Theologicarum decisionem à solo Papa Romano petendam & expectandam esse, eò quòd ipse in doctrinâ & fide errare nequeat: praeterea potestatem coactivam illi assignat, ita, ut etiam leges ferre possit, quae homines in conscientia obligent, & cogant credere aut agere prout summus Pontifex judicavit, ad quam spiritualem potestatem lib. 5. summam quoque temporalem jurisdictionem adjicit.

XXXIV.

Alii verò immodestiores, tantas Papae laudes decantant ut studio videantur obf. & vasse istam Euripidis sententiam: εἴτερος καὶ ἀδικεῖν καὶ τυραννίδος ἔστι καὶ ἀδικεῖν; Si delinquendum, tyrannidis gratiâ delinquendum est. Apud Gratianum caus. 9. q. 3. c. Nemo, sic scriptum legitur: Nemo judicabit primam sedem: Neque enim ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo judex judicatur.

XXXV.

Distinct. 40. c. Si Papa, haec extant verba: Si Papa sua & fraternae salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus quòd magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennae, cum ipso plagis multis in aeternum vapulaturos: huius culpas istic redarguere praesumit mortalium nullus, quòd cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus.

XXXVI.

Johannes, Capistranus Monachus, libr. de Papae & Conciliorum auctoritate ait; In omnibus & per omnia dicere potest, & facere, quicquid placet, quia non est, qui ei dicere possit, cur ita facis? Item, Apud

B 3

DEVM

## DISCURSUS THEOLOGICUS

DEVM ET PAPAM SVFFICIIT PRO RATIONE VOLVNTAS: quod & Panormitanus dicit, Extra. de constit. c. 1. Iohannes de Parisiis in lib. de potest. Regiâ & Papal. Omne, inquit, factum sanctissimi Patris interpretari debemus in bonum: & SI QVIDEM FVERIT FVRTVM, vel aliud EX SE MALVM, interpretari debemus, quòd DIVINO INSTINCTV fiat.

### XXXVII.

In Concilio Romano Patres acclamant Julio Papæ: TU ES OMNIA, & SVpra OMNIA: Omnis potestas tibi data est in cælo & in terrâ. Iohannes de Turrecremata lib. 3. de Ecclesia. c. 64. scribit: Si totus mundus sentiret contra Papam, tamen Papæ iudicio standum esset. Albertus Pighius lib. 4. Eccles. Hierar. c. 8. Papæ, inquit, attributa est omnis potestas in regno Christi, ligandi & solvendi, ubi vult. Imò disputandum non est, quin Papa omnia possit, scribit Alexander Soccinus.

### XXXVIII.

Et ut summatim dicam, hæc olim Pontificum elogia circumferebantur, quòd Papa idem habeat Consistorium cum Deo, & idem tribunal cum Christo: quòd sit quoddam numen, quasi visibilem quendam Deum præ se ferens, juxta Ludovicum Gomefium: quòd omnia jura habeat in scrinio pectoris, etiamsi idiotasit & immemor sui: quòd sit Princeps omnium, & Rex Regum, omnesq; mortales sibi habeat subditos: juxta Baldum: quòd non solum super omnia temporalia, sed etiam super Angelos iudex sit constitutus, juxta illud, Nescitis, quoniam Angelos judicabimus, 1. Corinth. 6. v. 3. quòd Papa sit omnipotens, & habeat liberrimam, immensam, infinitam & perfectissimam in omnibus causis & negotiis, civilibus & spiritualibus potestatem, pro arbitrio dispensandi, absolvendi, indulgendi, commutandi, laxandi, restringendi, confirmandi, declarandi, derogandi, reservandi, & quid non? quòd à Papâ ne ad Deum quidem appellari possit: quòd Papa possit de injustitiâ facere justitiam: quòd sit maior Paulo, & Petro par in administratione, juxta Antonium de Rotellis: quòd contra Epistolas Pauli queat statuere, juxta Carolum Ruinum: quòd possit dispensare contra quatuor prima Concilia, item contra verba Evangelii, licet non contra mentem, juxta Sigismundum Neapolitanum: quòd contra jus, & supra jus, & extra jus omnia possit, juxta Philippum Decium: quòd non possit se submittere iudicio Concilii, Imperatoris vel alterius, juxta Jacobatium: quòd possit facere sententiam, quæ nulla est, aliquam: quòd possit omnia facere, quæ Deus facit: quòd sit causa causarum & fundamentum fidei: quòd sit cælestis aula claviger, vertex graduum, & vivus fons justitiæ, fugans tenebras, sicut ventus: quòd possit Angelis mandare,

ut h.



ut universum purgatorium expurgent: quòd non sit superillustris, sed supra superillustris: quòd eius leges sint observandæ, sicut leges Dei: quòd sacrilegium sit de Romano Pontifice vel mutire, nisi in laudem: quòd Cæsarea Majestas sit, serra per se iners, & inutile instrumentum, nisi trahatur à Papâ. Hæc & similia plura vide in causis retractati Concilii Tridentini par. 2. à pag. 216. usq; ad p. 268. edit. Tubing. An. 83. Item apud Iohannem Wolffium tom. I. Lect. Memorabil. Centenar. 15. à p. 990. usq; ad fin.

## XXXIX.

Neg, verò putandum est, hæc præter voluntatem Pontificum ab adulatoribus, lucri fortassis & questus causâ dicta atq; scripta fuisse: Ipsi sanctissimi, scil. Patres eadem ferè de semetipsis scripserunt. Innocentius III. Constantinopolitano Imperatori rescribere non est veritus, quòd sicut aurum excellit plumbum, sic dignitas Papæ excedat imperialem: & sicut Sol dicitur Pater omnium Planetarum & dominus: ita Papa sit Pater omnium dignitatum: & sicut Luna recipit lumen à sole, ita Imperialis dignitas à Papâ. Bonifacius VIII. jubebat ante se in Iubilæo altâ voce proclamari. Ego sum Papa & Cæsar, cælestis & terrestris Imperii dominium habeo. Clemens VI. in bullâ mandat Angelis, ut animam è purgatorio penitus absolutam, in Paradisi gloriam introducant.

## XL.

Ex his ergò omnib. sufficienter intelligimus, Papicolas talè requirere & propugnare Monarcham, qui non tantum in Episcopali officio sit primus, & pastorum reliquorum inspectionem Ecclesiasticam habeat, sed qui Princeps etiâ sit politicus, sibiq; Imp. ac Reges terre subjectos habeat, à cuius nutu omnes pendere, cuius iudicio oēs acquiescere necessum sit, ita quidè, ut quodcumq; ille dixerit, fecerit aut voluerit, ab omnib. prorato firmo & certo habeatur, etiamsi cum presentissimo animarum & fortunarum discrimine conjunctum sit; id q; probe observari, & semper memoriâ studiosissimè repeti velim. Ita n. apparebit, pleraq; Romanensium argumenta Elencchi ignoratione laborare; & ad hanc, quam posuerunt thesin probandam minus esse accommodata.

## XLI.

Atq; hæc de statu questionis abundè sufficiant, qui, ut *συνομιως* dicam, iste est; Utrum Ecclesiæ œcumenicæ administratio vni cuidam Episcopo, necessariò sit cõmittenda, qui supremâ, spiritualè & secularem potestatem habeat in omnibus? & num iste ex præcepto Christi, & factò Petri non sit aut esse queat alius, quàm Episcopus Romanus? Cuius quidè questionis affirmativam præcisè defendunt Pontificii, negativam verò nostri, ad cuius propugnationem, ut & ad opinionis Papistica impugnationem, recto pedo jam descendo.

Qua-

## Questio Secunda.

## An Monarchicum regimen omnium sit optimum &amp; præstantissimum?

X L I I.

*Si Pontificii memores essent antiqui illius veriloquii, quod Apostolo Petro à nonnullis ascribitur, εδεν ατεγ γεγεφης: profecto haud adeo occupati essent in politicis Monarchiae laudibus decantandis. Etenim annon Scriptura potius consulenda, quam politicorum schola, si de optimo Ecclesiae regimine certi quid statuere velis? Fatemur perlubenter, quod administratio Ecclesiastica sit optima, eius autem modus & qualitas è Scripturis haurienda, non è lacunis politicorum derivanda est.*

X L I I I.

*Quantumvis enim vel diutissime etiam, alii pro Monarchiae, alii pro Aristocratiae laudibus decertaverint, tamen nil proficient vel Monarchiae defensores, si Christum Ecclesiam Aristocraticè gubernare velle ostendatur; nil Aristocratici, si Monarchicum regimen in Scripturis præceptum demonstratur. Non enim illud optimum putetur Ecclesiae regnum, quod dictatis politicis & rationi nostrae convenientissimum, sed potius, quod à Christo optimo & sapientissimo Rege, est institutum & commendatum.*

X L I V.

*Quapropter in frontispicio statim dissertationis huius gravissimae, duas insignes sophisticas Jesuitarum fraudes notari velim, quarum prima est malitiae, altera imperitiae: vel potius utraq, conjunctim, imperitiae malitiae, & malitiosae imperitiae. Malitiosum est, quod themate isto de præstantiâ regiminum lectorem detinent, & integros libros replent suis ratiunculis, cum tamen ista omnia ad rem nihil faciant. Rationem exposcis? In promptu ea & modo dicta est, quoniam excellentia regiminis non ex opinatione politicâ, sed ex ordinatione Dominicâ unice est estimanda.*

X L V.

*Hoc igitur immotum & irrefragabile fundamentum pono: Istud tantummodo optimum Ecclesiae regimen est, quo Christus eam regi voluit & præcepit: econtra, quo non voluit, non præcepit regi, istud optimum non est, etiamsi ab omnibus politicis pro optimo habeatur. Cuius fundamenti ratio in Christi & providentiâ & sapientiâ, tota recumbit. Etenim hic summe providus, & in Ecclesiam suam, tanto redem-*

tam

nam pretio, benevolentissimus est: Ergo voluit etiam optimo eam modo in his terris gubernari. Vicissim, est summè sapiens, & in eo πάντες οἱ Ἰσραηλιῶται τῆς σοφίας, καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοί, Col. 2. v. 3. E. & potuit optimum regiminis modum prescribere: quâ potestate & voluntate positâ, & ipse actus ponitur: quæ enim voluit, fecit, dicitur Psalm. 113. v. 3. & ὅσα θέλει γίνεται, inquit Damasc. lib. 2. Orth. Fid. cap. 29. id quod de voluntate simplici, nec à conditionibus dependente, certissimum est.

## X L V I.

Cùm igitur ἀναμφισβήτως verum sit Christum in Scripturâ omnium optimum Ecclesiastica gubernationis modum prescripsisse, cadunt profecto omnia tanquam prorsus infrugifera & impertinentia, quæ vel Nicolaus Sanderus, vel Robertus Bellarminus, vel Iacobus Gretserus, de Monarchiæ dignitate in suis tricubitalibus commentationibus hinc inde disputârunt. Etenim cùm argumentari cœperint, optimum regimen, optimo regiminis modo administrari; & subsumserint, Monarchicum esse optimum, ibi probationem mihi è Scripturis afferant necessum est, si quid obtinere voluerint. Non enim audiam, quicquid etiam blateraverint de Monarchiâ, si demonstrare potuero, Christum optimum modum prescribentem, Monarchiam non præcepisse, sed potius prohibuisse.

## X L V I I.

Ad has igitur angustias redigam vel versutissimum etiam Jesuitam, ut fateatur, aut Christum in Scripturis non prescripsisse optimum gubernationis Ecclesiasticae modum, aut impertinentia esse omnia argumenta Philosophica à Monarchiæ excellentiâ desumpta, initiumq; disputationis non à politicorum dictatis, sed Christi institutis faciendum.

## X L V I I I.

Atq; hoc est, quod Theologi nostri in Colloquio Ratisbonensi semper urserunt, aliam Reipublicæ, & aliam Ecclesiæ rationem esse, nec huius gubernationem, ad illius modum esse conformandam, ob contrariam Christi dispositionem: ubi valdè subtilis & acutus sibi videtur Gretserus l. 1. de P. R. c. 1. col 403. abstrahens ab omni gubernatione, Ecclesiasticâ & civili, & duntaxat præcisè præstantiam regiminum in se considerans. Verum & ista abstractiva dissertatio hinc est aliena & impertinens. Quid enim opus, ut nos diu maceremus genericâ Monarchiæ consideratione, si Christus in speciè Ecclesiam non Monarchicè administrari voluit? Tandem ergo necessum est, ut velint nolint, in Scriptura circum includantur, & istas ratiunculas, tanquam inefficaces, missas faciant.

## DISCURSUS THEOLOGICUS

## X L I X.

*Et hoc primum, malitia nimirum, crimen est: Alterum verò imperitia est, quòd gravissimum thema Theologicum, πρώτως ex Philosophorum commentis definire tentant, & ita contra τὸ πρῶτον παιδείας pueriliter peccant.*

## L.

*Præcipit ipse Philosophus lib. 1. ad Eudem. cap. 6. ut questiones demonstrantur non ἀλλοτριῶς, ἀλλὰ τοῖς οἰκείαις λόγοις. Φιλοσοφὸν γὰρ τὸ τοῖς ἑαυτοῦ ἐκάστην μέθοδον. Lib. 1. Poster. Anal. cap. 7. ait: σὺν ἄρτι ἐστὶν ἐξ ἄλλου γένους μεταβάλλοντα δείξαι, Non licet demonstrando de genere in genus transire. Præcipue verò in Theologicis rebus crassissima ignorantie argumentum est, medium demonstrationis ex Philosophiâ, atque sic alienâ pharetrâ depromere. Quid enim Athenis cum Hierosolymis? quid scholæ Philosophorum cum Ecclesiâ Christianorum commune? scribit Tertullianus lib. de præscript.*

## L I.

*Ferulâ igitur digni sunt Sophistæ Pontificii, eò quòd primum & principale argumentum, pro primatu Romanensi, non ex Scripturis divinis, sed dictaturis Philosophicis mutuantur. Bellarminus profectò ordinis sui, semel præscripti, fuit immemor, dum aliàs plerunq; primum argumentandi medium è Scripturâ, ultimum è Philosophiâ desumit: hic autem & cause diffidens, & prædecessorum vestigia premens, inverso ordine, rationes Philosophicas præponit, Scripturarum testimoniis quæ hoc ad negotium detorqueat, postpositis. Unde firmiter colligo, primatum Papalem πρώτως arenoso fundamento esse superstructum, rationis humane inventum, non Christi institutum, aut è Scripturis deductum dogma.*

## L I I.

*Etenim Christianos volentes accipere firmitatem fidei veræ, ad nullam rem confugere decet, quàm ad sacram Scripturam: scribit Chrysoft. in Matth. homil. 49. Magnum enim periculum est, res fidei humanis committere rationibus; ait idem homil. 21. in Genesin. Jam verò Episcopi Romani Monarchia, dicente Papa Iohanne XXII est de necessitate salutis: est res fidei, scribente Bellarmino lib. 2 de P. R. c. 12. col. 754. D. Et nihilominus probationem huius articuli ἡς μὲνως & πρώτως ex politicorum asseveratione, non Scripturarum testificatione deducunt: unde quid aliud juxta Chrysostomum concludi potest, quàm in magno ipsos versari periculo, moremque disputandi Christianum haud observare?*

## L I I I.

Augustinus lib. 4. de Trinit. c. 6. tria quidem innuit dissertationum Theologicarum principia, 1. Scripturam, 2. Ecclesiam, & 3. rationem, cum inquit: Nemo Christianus contra Scripturam, nemo pacificus contra Ecclesiam, nemo sobrius contra rationem sentit: sed primo omnium loco, tanquam οὐκ εἰς, & principale σοιχεῖον locat Scripturam, ultimo Philosophiam seu rationem, quam accuratam disputationis legem & methodum cum perturbent in hac controversiâ Pontificii, quid sani aut orthodoxi ab iis ultra sperari aut expectari poterit?

## L I V.

Si ex Scripturâ prius probatam dedissent Monarchiam (id quod ad Calendas Græcas præstare poterunt) tum ultimo loco ἐπιδοσµατος instar apponere potuissent istum de Monarchiâ discursum. Quia verò in primâ acie ponunt, pro imperitis & malitiosis disputatoribus non immeritò habentur. Superfedere igitur possem ulteriori quæstionis istius politice, tanquam ineptæ & inefficacis consideratione, & Jesuitas tum ἀσυνάγωγος, ob impertinentiam, tum ἀτόπως, ob saltum generis, disputantes ad Scripturam unicè revocare attamen, quia ipsis placuit humanitùs inventum primatum, rationis etiam humane argumentis primò confirmare, agite audiamus paulisper istorum discursum de Monarchiâ, & hinc deducto primatu Romano.

## L V.

Ab omnibus usurpata, & primò intentata hæc est propositio, quòd Monarchia sit optima & præstantissima gubernandi forma longeque emineat præ aliis omnibus, ita, ut simplex Monarchia, simplici Aristocratiæ & Democratiæ, absolutè & simpliciter sit præferenda, unde ocys concludunt, Ecclesiam προαρχικῶς administrandam, si modò optimus regiminis modus in eâ vigere & observari debeat. Ita statuit Costerus in Enchirid. c. 3. p. 119. ita Nicolaus Sanderus l. 1. de Monarchiâ Ecclesiasticâ: ita Bellarminus; ita Gretserus l. 1. de P. R. c. 1. & seqq. qui tamen c. 3. hanc afferunt limitationem, quòd Monarchia temperata, h. e. Aristocratiæ ac Democratiæ admixta, (in quâ unus quidem est summus princeps, sub eo tamen, ob negotiorum expediendorum multitudinem, sunt alii minores principes,) in hac vitâ sit utilior, quàm simplex, adeoque etiam Ecclesiasticam Monarchiam non simplicem sed temperatam esse debere contendunt.

## L V I.

Hæc ipsorū mens est & sententia, de quâ quid mihi videatur, ut exponã, ante omnia distinguo, inter Monarchiâ absolutè universalem, & Monarchiam

## DISCURSUS THEOLOGICUS

chiam quodammodo particularē, quibus terminis utar, donec alius commodior esuggerit. Universalem voco, qua includit universalitatē, tum subditorum, tum bonorum, tum jurisdictionis & potestatis: quando unus est, vel esse vult Dominus omnium omnino hominum, simulq; potestatem sibi arrogat omnem, & secularem, in fortunas & bona externa, & spiritua-lem, in animas, vel bona interna omnium hominum, in toto terrarum orbe viventium. Particularem verò Monarchiam appello, ubi unus quidem est Rex & Monarcha, sed <sup>1.</sup> non habet omnem, sed saltem vel secularem, vel Ecclesiasticam potestatem. <sup>2.</sup> non super omnes, sed tantum aliquot homines, sive illi sint potior mundi pars, sive non sint. <sup>3.</sup> nec in omnia bona, sed saltem vel politica vel Ecclesiastica.

### L V I I.

Jam verò, quam Pontificii Monarchiam intelligant, obscurum esse nemini potest, qui dicta eorum quaestio. i. recitata consideraverit, & vel saltem unicum hoc ponderaverit pronunciatum Alvari Guerretii, quod legitur l. de jure Pont. Rom. cap. 16. his verbis: Principatus summi Romani Pontificis non solum ad spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendit, ita quòd in toto terrarum orbe jurisdictionem habeat temporalem. Addatur audax effatum Papæ Johannis XXII. Extravag. de Majoritate cap. unam sanctam: Esse, nimirum omnino de necessitate salutis, omnem humanam creaturam subesse Papæ Romano: ubi tantam universalitatem intelligunt ut ne quidem Angelos & Diabolos excipiant, sicuti notum est ex mandato Clementis V I. ad Angelos factò.

### L V I I I.

Videtur equidem Bellarminus reliquis Pontificiis nonnihil modestior l. 5. c. 2. & seqq. dum Papam nec totius mundi, nec totius orbis Christiani dominum esse disputat: verum in modo duntaxat ab aliis dissentit, in re autem per omnia consentit. Etenim cap. 7. scribit, Papam posse mutare regna, & uni auferre, alteri conferre, posse condere legem civilem, vel confirmare aut infirmare leges Principum: Cap. 8. disputat, potestatem civilem subjectam esse potestati spirituali, atq; ita Pontifici summam & universalem Monarchiam cum aliis concedit, verum non eodem modo, sed diverso, nimirum indirectè, non directè. Cum autem modus rem non variet, manet hoc, quòd omnes & Pontificii, & Jesuitæ, Papam Romanum, velut universalem Monarcham, utroq; gladio instructum, colant & venerentur.

59. Add

## L I X.

Adde, quòd & reliqui Papicolæ ejusdem non sunt sententiæ cum Bellarmino, siquidem Alexander Cæterius, 7C. Patavinus, Anno 1599. duos de potestate Pontificis libros edidit, in quibus Bellarminum acriter insectatur, Papamq; non secus ac Christum, cuius sit Vicarius, jure divino, & directè, totius orbis dominum esse, omnemq; potestatem habere contendit: quem vicissim Gretserus l. 5. c. 4. & 5. refutavit, unde apparet cum summa, scilicet, fratrum istorum consensus, tum infallibilis certitudo Papistica, in summo & necessario, ut ipsi vocant, salutis articulo, de Pontificum potestate. Conveniunt quidem in eo, quòd habeat summam potestatem, unde autem habeat, an à Deo, vel ab hominibus, & num ordinariè vel extraordinariè, directè vel indirectè, extreme dissentiunt.

## L X.

Sed digladiantur fratres isti Cadmei de principio, modoq; potestatis, quamdiu velint; Ego de re ipsa acturus, Universalem & illimitatam Monarchiam ut pro optimo regimine habeam, tantum abest, ut potius clarâ voce eam. 1. in Scripturis rejectam. 2. Impossibilem. & 3. perniciosam esse, constanter pronuncians.

## L X I.

In Scripturis rejectam dico Monarchiam universalem, ratione ordinationis, ratione prohibitionis, ratione prædictionis divinæ. Ordinatio DEI in consistit, quòd distinctissimos semper voluit esse ordines, politicum & Ecclesiasticum, id quod non saltem, per diversissima ad eos facta mandata, per diversas functiones & jurisdictiones, iis assignatas: sed etiam in V. T. distincto vestitu & habitu evidenter indicare voluit. Iam verò, si penes unum summa esse deberet omnium & politicorum & Ecclesiasticorum negotiorum; caderet certè omnis ista statuum distinctio, siquidem unus idemq; foret, & secularis & spiritualis Monarcha, adeoq; in uno subiecto concurrerent ordines isti, specie distincti: quod certè contraplurima est Scripturæ testimonia, diversitatem istam indicantia, & confisionem omnem removentia.

## L X I I.

Prohibitio divina, clarissimis verbis concepta, extat Luc. 22. v. 25. Matth. 20. v. 26. Marc. 10. v. 42. οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν: ὑμεῖς δὲ ἕχ' ἑταῶς. Reges gentium dominantur, vos autem non sic: ubi iam nihil amplius valebit ista exceptio Bellarminiana, quam habet l. 1. c. 9. col. 635. D. Christum non omnem, sed saltem civilem Monarchiam

## DISCURSUS THEOLOGICUS

prohibuisse. Etenim si ita sit utiq<sup>3</sup> Ecclesiastica persona, vel Episcopus Ecclesie, non poterit simul esse Princeps politicus, & potestatem habere secularem, quoniam tum etiam dominaretur ut Rex gentium. Christus autem discrimen facit, inter Reges politicos dominantes, & inter Apostolos non dominantes; ex quo sequitur invictè, Monarchiam universalem, à Christo esse prohibitam, aliàs dominium istud politicum, de quo Christus verba facit, unà cum jurisdictione Ecclesiasticà, in unà personà contra manifestam Christi assertionem, Vos non sic concurreret. Quod ipsum etiam evincit aphorismus Apostolicus 2. Tim. 2. v. 4. Nemo militans Christo, ἐπιμαρτυροῦν τῷ βασιλεὺς, implicat se negotiis secularibus. Ast quomodo non implicaretur his Ecclesie Episcopus, si unà politicus Princeps foret, & temporalem jurisdictionem, tum haberet, tum exerceret?

### L X I I I.

Prædictio divina, Monarchiam universalem impugnans, est multiplex. Nam evincunt hoc prædictiones 1. hæreseων 2. persecutionum Ecclesie. & 3. perpetuorum bellorum, & dissensionum semper continuandarum in regnis. Si enim Christus voluisset esse unum summum Monarcham, cui omnes necessario parerent, & qui omnes ad suum nutum cogere posset, unde quæso orirentur hæreses, unde persecutiones, unde bella & dissensiones? Annon iste Monarcha universalis hæreticos comprimere;annon persecutores compefcere, atq<sup>3</sup> sic unitatem in regno suo conservare posset? Neq<sup>3</sup> dici potest habere Papam potestatem istam, sed ob hominum perfidiam exercere non posse, cùm ridiculum sit, dedisse Deum Papæ jus in regna totius mundi, & non dedisse illi unquam facultatem utendi ejusmodi jure, dicente Bellar. l. 5. c. 2.

### L X I V.

Adde prædictionem prophetica Dan. 7. de quarta Monarchia semper duratura. Aut enim Rom. Imperator non erit Monarcha, aut sequetur eum unà Ecclesiarum omnium debere curam & inspectionem habere. Non enim duo possunt aut debent esse Monarchæ juxta ipsos, sed unus œcumenicus. Ast in Scriptura prædictum fuit, Monarcham Romanum usq<sup>3</sup> ad finem mundi duraturum. Aut ergo hic, aut planè nullus alius erit Monarcha œcumenicus, quod ultimum quoq<sup>3</sup> est verissimum.

### L X V.

Legimus equidem Dan. 11. v. 36. de Rege, qui sit omnia factururus juxta voluntatem suam, & universalem Monarchiam affectaturus, item 2. Thess. 2. v. 3. de homine peccati, qui sese sit elevaturus super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, & Apoc. 13. v. 11. de bestia, quæ sit omnes ferè seductu-



*seductura: c. 17. v. 1. de meretrice magna, cum qua fornicentur Reges terræ: verum hæc omnia tanquam Antichristi magni signa recensentur, quæ quia impleta videmus in ista affectata Papæ Monarchia universalis, aliud certè inferre non possumus, quam eum esse toties prædictum Antichristum, non autem legitimum, & à Christo ordinatum Ecclesie Episcopum œcumenicum.*

## L X V I.

*II. Impossibilem dico talem Monarchiam, 1. quia nemo tam potens, ut universum sibi mundum subjiciat. Quis enim Turcam, quis Persas, quis Moscovitas expugnabit, ut omnium regnorum unus sit Dominus? Quis hereses, quis Antichristum tollet, ut omnium hominũ una sit religio, unus sacerdos summus? 2. nemo tam sapiens, ut omnium controversiarum politicarum & Ecclesiasticarum, in toto orbe occurrentiũ judex esse queat. Neq; juvabit Pontificios, etiamsi dixerint, posse eum in singulis provinciis suos habere legatos. Semper enim ab horũ sententiã & iudicio appellabitur ad summum Monarcham quem in uno saltẽ loco existentem, remotissimi populi consulere non poterunt, quin & ipsum omnes hominum lites & controversias, vel saltẽ graviores audire, annon κ τῶν ἀδυνατῶν est? Impossibilia autẽ & velle & suadere, stultum putatur: μανία ἐστὶ τῶ ἐπὶ δυνάμει ἐμποιεῖν ἢ, scribit Demosthenes.*

## L X V I I.

*III. Perniciosam dico, quia 1. conscientis injiceretur vinculum, dum summus ille Monarcha omnes ad suam fidem cogeret. Illo igitur cadente, tota Ecclesia caderet, vel certè in summas angustias redigeretur. 2. foret hoc in Deum & Angelos cõrumeliosum. Non enim solus Deus amplius Rex Regum, & Dominus dominantium esset, sed unã cum eo fictus hic Monarcha universalis: de beatitudine sua deicerentur Angeli, si quævis jussa, sæpè etiam importuna, istius œcumenici Regis exequi deberent. Homini quidem serviunt, sed non ad hominis, verum solius Dei mandatum. 3. regnum omne facillè mutaretur in tyrannidem. Si enim unus summam haberet potestatem, & ille (sicut ob annatam homini superbiam fieri posset facillime) insolesceret & seviret, quis ei, omnia pro lubitu, contra jus & fas gerenti, resisteret?*

## L X V I I I.

*Quod autem porrò particularem attinet Monarchiam, de qua Politici loquuntur potissimum, dubitant certè plurimi, num ea absolutè sit omnium gubernandi formarum præstantissima, ita, ut valdè temerarium sit, & impudens, ne quid gravius dicam, effatum istud Bellarmini, quod l. 1. de P. R. c. 2. legitur; Conveniunt, inquit, in hanc sententiam (nempe*

*Monar-*

## DISCURSUS THEOLOGICUS

*Monarchiam esse optimam*) veteres omnes scriptores Hebræi, Græci, Latini, Theologi, Philosophi, Oratores, Historiæ, Poëtæ.

L X I X.

*Etenim annon omnes ij, qui in antiquis vixerunt Rebuspublicis, Aristocratiam vel Democratiam, & verbis & factis Monarchiæ prætulerunt? Si enim existimâssent, optimum gubernandi modum non esse alium, quàm Monarchicum, certè & hunc elegissent, & Aristocratico vel Democratico statui nunciium misissent. Hodierno quippe die libera Respublica ingentis beneficij loco habent, quòd nulli subsint Principi aut Regi, quibus adeò sua placet Aristocratia vel Democratia, ut vitam quoq; prius profundero malint, quàm uni Domino subjici.*

L X X.

*Præterea multi fuerunt scriptores, qui Aristocratiam prætulerunt Monarchiæ, ex quibus est Patritius Senensis l. i. de Institut. Reipub. c. 1. ubi disertè ait: Tutiores vitam arbitranda esse censeo bene moratæ Reipub. quàm ejusque Principis. Josephus l. 4. Antiquit. c. 8. scribit: Aristocratia & vita, quæ ex eâ ducitur, res optima est, nec vos capiat desiderium alterius Reipublicæ.*

L X X I.

*Hinc est, quòd communiter distinguant Politici inter τὸ βέλγιον, & τὸ αἰρετὸν; & inter Monarchiam in abstracto, ratione sui, vel essentia, & in concreto, ratione hominum vel existentia consideratam; ad quam distinctionem quoq; digitum intendit Gretserus l. i. c. 2. col. 4. Si Monarchia in se, & ratione quidditatis suæ æstimetur, & omnia Monarchiæ boni requisita præsupponantur, tum utiq; omnium præstantissima est forma; quo etiam sensu pleraq; authorum dicta sunt intelligenda. Quòd si autem imbecillitas humana attendatur, & Monarchia consideretur ratione existentia, qualis esse solet & potest, non qualis esse debet, tum utiq; multi dubitare videntur non immeritò, an Monarchia semper sit eligibilior & præstantior.*

L X X I I.

*Bellarminus ipse l. i. c. 3. præfert Monarchiæ simplicimixtam, & ex Aristocratia temperatâ, si circumstantiæ & ratio hujus vitæ consideretur. Cur igitur tam prolixè c. 2. disputavit de simplici statu Monarchiæ, si iste & impossibilis, & in hac vitâ inutilis? Non enim de Platonicis Ideis disputamus, nec solliciti sumus, quid fieri debeat, sed quid fieri queat & solet. Quis enim tam bardus foret, ut non præferret Monarchiam aliis*  
*statibus*

statibus, si semper tales haberentur Reges, qui debitis essent virtutibus instructi, summè sapientes, pijs, laboriosi, justitiæ studiis addicti, subditorum curam habentes, & negotia omnia, vel pleraq<sub>3</sub>, propria industria expedi- entes? Quia verò in hoc nature morbo, ista quidem optari, vix autem spe- rari & expectari possunt, hinc certè magna de regiminum præstantia ori- tur disceptatio.

## L X X I I I.

Quapropter cùm undiquaq<sub>3</sub>, dubium sit istud politicum problema, annon delirare putabimus Jesuitas, quòd ex ambiguo, & in scholis politico- rum nondum satis deciso themate articulum fidei, & dogma religionis de- ducere non erubescant? Sed non mirum est, homines istos dubia & areno- sa fundamenta proponere, cùm aliàs fide dubitante plus delectentur, quàm immota & confidente.

## L X X I V.

Quòd si verò quis ex me rigorosè scire velit, quæ tandem forma re- giminis sit præstantior, & semper eligenda in hac vita? isti responsum in- schola Theologica dare non teneor, sed ad Politicorum auditoria eum re- mittam. Est enim problema istud, ex utraq<sub>3</sub> parte valde dubium, & sum- mè periculosum. Si Monarchiam absolutè prætuleris, urgebunt Theo- logi regimen Ecclesiasticum, quod optimum est, non tamen Monarchicum, ut infra probabitur. Si Aristocratiam anteposueris, proferent Politici, Ro- mani Imperij administrationem, quæ potius Monarchica, quàm Aristo- cratica esse censetur.

## L X X V.

Proinde quemvis suo hîc sensu abundare patior: mihi cum Bano- fîo, l. de politia civitat. Dei & hierarchiâ Romanâ c. 14 sect. 2. pag. 145. tutissimum videtur, omissis comparativis, saltem in positivo loqui, & u- trumq<sub>3</sub> regiminis modum, tam Aristocraticum, quàm Monarchicum, bo- num & eligibilem estimare, eò quòd uterq<sub>3</sub> Dei sit ordinatio; uterq<sub>3</sub> & olim fuerit, & etiamnum hodiè usitatus sit; uterq<sub>3</sub> etiam paria afferre videatur commoda. Nam quinq<sub>3</sub> istæ boni regiminis proprietates, nimirum 1. or- do, 2. pax, 3. robur, 4. diuturnitas, & 5. gubernandi facilitas, tam sub Aristocratico quàm Monarchico statu reperiri, per exempla manifestissi- ma demonstrare haud difficile est.

## L X X V I.

Ut ut verò sit, quantumvis evicerint Politici, mundana regna con- venientiùs non administrari, quàm si unus Monarcha clavum Reipublicæ teneat: attamen hoc ipsum ordinationi Christi, & regimini Ecclesiastico

D

præju-

## DISCURSUS THEOLOGICUS

*præjudicare nihil poterit. Si enim probetur, Christum prohibuisse primatum & Monarchiam in Ecclesiâ, nil efficient vel speciosissima Politicorum argumenta, licet integris plaustis adveherentur, & per integros tricubitales commentarios, pomposis ampullis & verbis sesquipedalibus urgerentur.*

### *Questio Tertia.*

## An Ecclesia Veteris Testamenti

Monarchicè fuerit gubernata?

L X X V I I.

Duo sunt, quæ Pontificij circa questionem hanc disputare solent communiter, 1. quòd Ecclesia Israëlita in V. T. non Aristocratico, sed Monarchico modo fuerit gubernata. 2. quòd propterea etiam in Ecclesiâ Christianâ N. T. similis ratio observari debeat, quandoquidem Vetus rerum in Novo gerendarum typus fuerit & præfiguratio, juxta 1. Cor. 10. v. 10. Hebr. 10. v. 1. De qua utraq; assertione Papisticâ paucis est agendum.

L X X V I I I.

Utq; à primâ exordiar, expressis verbis legitur ea apud Bellarminum l. 1. de P. R. c. 9. col. 629. A. Tempore, inquit, Testamenti Veteris semper fuit unus, qui omnibus præerat in iis, quæ ad legem & religionem pertinebant. Ac præsertim ab eo tempore, quo cœperunt Hebræi redigi ad formam populi, & gubernari legibus & magistratibus: quod fuit post egressionem ab Ægypto. Tunc enim Moses ordinavit Rempublicam Judæorum, scripsit eis leges, quas à Deo acceperat, Aaronem consecravit Pontificem, eiq; uni Sacerdotes omnes & Levitas subjecit.

L X X I X.

Annuit Costerus c. 3. Enchiridii, p. 124. ita scribens: In Judæorum Synagogâ, in quâ tanquam primis lineamentis majestas Ecclesiæ Catholicæ adumbrata fuit, unus Aaron cum posteris suis, præfectus est facris, illisque rebus, quæ ad populi institutionem, & spiritualem directionem faciebant, non modò, ut doctor vel inspector, vel ceremoniarum curator; sed ut verus cum imperio & autoritate Princeps. Manifestius hoc ipsum exprimit Gretserus l. 1. de P. R. in defens. c. 9. col. 467. A. Summus, ait, & universalis Monarcha erat Moyse, item Aaron, postea successores Aaronici. *Hæc illi.*

*Quoniam*

## L X X X.

Quoniam verò non saltem post, sed & ante educationem populi Iudaici ex Aegypto, suam in terris Ecclesiam habuit Dominus, propterea non duntaxat de posterioris, verum etiam precedentis, primæq; Ecclesie gubernatione, necessario hic differendum erat, id quod tamen Iesuite declinant studiosè, siquidem istud primatui Romano haud per omnia utile futurum animadvertunt. Ne autem ex parte nostrâ aliquid desideretur, de utroq; utriusq; Ecclesie regimine breviter agemus.

## L X X X I.

Creaverat Deus ab initio non integram multitudinem, sed unicum duntaxat par hominum, ex quibus, tanquam communibus parentibus, universonum genus humanum postmodum progigneretur. Primis igitur mundi seculis, ante numerosam hominum multiplicationem, Ecclesie erant tantum domestica, quas ipse Deus sine ministris aut Prophetis, vivâ voce docebat, atq; ita velut immediatè suam Ecclesiolam gubernabat, nisi quòd patres familiarum ea etiam, quæ ab ipso Deo audiverant, sæpè repetebant, suisq; tum liberis, tum servis inculcabant, quæ regiminis ratio tempore antediluviano potissimum obtinuit.

## L X X X I I.

Cùm autem post diluvium, Noachi, ab aquis reservati, familia excresceret, magnamq; terra partem inhabitaret, uti Genes. 10. extat, non introductum statim fuit Monarchicum regimen, sed tum potius Democraticum, in politia & Ecclesia videtur viguisse, quandoquidem, si de communi quodam negotio esset deliberandum, vicini patres familiarum conveniebant singuli, & quid agendum conjunctim deliberabant, uti quodammodo apparet ex Genes. 11. v. 2. quamvis paulo post Nimrod regnum & principatum inchoaverit, atq; in Babylone primam sibi sedem fixerit, Gen. 10. v. 9. & 10.

## L X X X I I I.

Quoad Ecclesiastica verò & religionis negotia, status iste Democraticus diu permansisse videtur, eò quòd Ecclesiola Domini angusti Patriarcharum familiis clauderetur, ubi proculdubio Patriarchæ singuli, ut exempli gratiâ, Loth & Abraham, convenerunt quandoq; revelationes divinas sibi invicem recensuerunt, & de disponendo cultu sacro, rebusq; ad eum pertinentibus communia decreta fecerunt. Legitur quidem Genes. 14. v. 18. de Rege Salem, Melchisedech, quòd unâ Sacerdos Altissimi fuerit: sed cùm exemplum istud planè sit extraordinarium & singulare,

## DISCURSUS THEOLOGICUS

nulliusq; praeter ea sacerdotis fiat mentio, nec Melchisedech super omnes familias Patriarcharum, quoad Ecclesiastica negotia, inspectionem habuisse legatur, propterea hinc Monarchicum Ecclesiae regimen firmiter vix concludetur.

L X X X I V.

Sequenti verò tempore gubernatio ista ad Aristocratiam fermè deflexit, dum multiplicato semine Abrahami, duodecim Patriarchae, filij Jacobi, conjunctim praerant, & seniores populi eligebantur, qui certis legibus, & politicis & Ecclesiasticas controversias dijudicarent. Nam Exod. 3. v. 16. & 18. Dominus ipse in ablegatione Mosis, seniorum Israël mentionem facit, qui proculdubio optimates erant, & copiosum istum populum Aristocratico more gubernabant. Ipse etiam Moses c. 4. v. 29. coram senioribus, tanquam ducibus & primatibus Israëlitarum, Domini mandatum recensere voluit.

L X X X V.

His igitur ita se habentibus, contra Pontificios taliter concludo: Si Ecclesia antiquissima, & maximè egens optima gubernatione, per seniores vel optimates, atq; ita Aristocraticè fuit gubernata, utiq; falsum erit *ἡξίον* istud Papisticum, quòd Monarchia sit & omnium prima, & optima regiminis forma. Num enim existimabimus, Deum Ecclesiae suae primo tēpore minus rectè providisse, detrahendo nimirum & denegando optimum regimen? Ita certè colligendum, si vera essent, quae de Monarchia blaterant Pontificij.

L X X X V I.

Quocirca ex dictis & demonstratis evidenter apparet, utrumq; regiminis modum, Aristocraticum & Monarchicum, à Dei ordinatione manasse, utrumq; in se esse optimum, & illum quidem antiquiorem, hunc recentiore, neutrum vituperabilem, pro ratione tamen circumstantiarum & urgentibus peculiaribus causis, alterum praeter altero eligibilem.

L X X X V I I.

Porrò autem, cum populus ex Aegypto egressus esset, Moses extraordinariè, & immediata vocatione divina, dux & princeps Israëlitarum constitutus fuit, ideoq; & negotia omnia, non saltem Ecclesiastica, sed & politica in deserto expedivit, atq; sic quasi universalis Monarcha, ratione obiecti, ad tempus fuit; ob negotiorum tamen multitudinem, ex consilio soceri sui Jethronis, operas judiciales divisit, causasq; minores, electis ad id tribunis & centurionibus, componendas distribuit, reservato sibi in causis majoribus iudicio, uti constat ex Genes. 18. v. 13, 14. & seqq.

L X X X V I I I.

Postmodum verò accepit mandatum à Domino, ut in summum  
populo

populi Sacerdotem vel Pontificem eligeret, ungeret & confirmaret fratrem suum Aaronem, Exod. 28. v. 1. seqq. 29. v. 1. Num. 17. v. 5. 8. qui quidem, ut & successores eius primi erant Sacerdotum & Levitarum omnium, talem tamen primatum & Monarchiam, qualem Pontificii urgent & describunt, minimè omnium vel habuerunt, vel unquam usurpaverunt.

## LXXIX.

Etenim summus Veteris Testamenti Pontifex, I. non habuit potestatem omnem, secularem nempe & spiritualem, quandoquidem Seniores, Iudices, & postea Reges, ea omnia, quæ ad Reipublicæ & politię conservationem pertinebant, ordinariè expediebant, quâ de causâ fatentur Sacerdotes coram Pilato Iohan. 18. v. 31. Nobis non licet interficere quenquam. Hoc enim erat politicis Iudicibus reservatum, & Pontifici saltē cura sacrorum incumbēbat, uti manifestissimè constat ex 2. Paralip. 19. v. 8. & seqq.

## XC.

Quin & ipsi Pontifices Regibus & politico Magistratui fuerunt subiecti, ideoq; Salomon 1. Reg. 2. v. 27. & 35. deposuit Abiathar, & constituit in eius locum Pontificem Sadoch. Quod v. Bellarm. l. 2. c. 29. col. 829. excipit, Salomonem, non ut Regem, sed ut Prophetam deposuisse Abiathar, in eo & principium petit, & textui v. 26. manifestè contrariatur. Neq; enim Salomonem tum Prophetam fuisse, aut Prophetas consuevisse Sacerdotes deponere, probari potest. Præterea Abiathar Pontifex, Salomonem Regem voluit regno deturbari, ipse autem à Salomone fuit depositus, ex quo colligitur evidentissimè, Reges habuisse potestatem in Sacerdotes summos, non autem vice versâ, hos in illos. Proferant n. vel unicum exemplum quod ullus Pontifex Regem quendam officio abdicaverit, aut abdicare saltē tentaverit, cum tamen multi fuerint impientissimi, & idololatriæ addictissimi, ideoq; à Pontificibus pro ratione officii, ad defendendum cultum divinum, deponi debuissent, si modò talis à Deo potestas concessa fuisset.

## XCI.

II. Præterea in Ecclesiasticis negotiis non habuit potestatem omnem, quandoquidem ipsius non erat Synodum convocare, & totum populum congregare sed hoc politico Magistratui reservabatur. Hinc Moses, non Aaron, Josua, non Eleazar, Iudices, non Sacerdotes populum convocarunt hinc & Rex David duas magnas Synodos indixit, 2. Sam. 6. v. 1. & 15. & Salomon, 1. Reg. 8. v. 1. quod etiam factum ab Asa, & Josaphat, ceterisq; Iudeorum Regibus, uti fuse demonstrarunt nostri Theologi in protestatione adversus Concilium Tridentinum, pag. 8. & seqq.

## DISCURSUS THEOLOGICUS

### X C I I.

III. Non habuit potestatem illimitatam, sed unice & præcisè ad legem Domini adstrictam, sicut expressè legitur Deuter. 17. v. 10. & 11. Facies, quodcunque dixerint, qui præfunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem eius. Deuter. 27. v. 21. Eleazar Sacerdos consulat Dominum: Ad verbum eius egredietur, & ingredietur, & ipse, & omnes filii Israël cum eo. Propterea, quoties exorbitârunt Pontifices, lege Moysis relicta, Prophetas misit Dominus Ecclesie suæ, qui Sacerdotes summos graviter vituperabant ob prævaricationem legis, populumq; ad statuta Jehovæ servanda, severè admonebant.

### X C I I I.

IV. Non habuit potestatem summam & ultimam, neq; solus pro arbitrato definire controversias, & quasi proprium tribunal erigere potuit, sed summa judicandi potestas, non apud solum Pontificem, sed conjunctim apud reliquos sacerdotes, unà cum iudice politico reposita erat, sicuti clarè exprimitur Deut. 17. v. 9. Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, &c. Hinc Christus ipse non coram solo Caipha, sed coram toto Concilio Seniorum causam dicere jussus est, Matth. 26. v. 57. Marc. 14. v. 53. quod ipsum quoq; contigit Apostolis Christi, Actor. 4. v. 6. 7. & 8.

### X C I V.

Etenim Iudices in politiâ Mosaicâ in tres fuerunt distributi ordines, quemadmodum annotavit Paulus Fagius in 16. cap. Deuteron. citante Chemnitio cap. 51. Harmon. Evangel. p. 372. <sup>1</sup> In iudicio sedebant triumviri, pronunciantes de causis, quæ erant manifesti juris, ut de pœnâ homicidii. <sup>2</sup> In qualibet civitate Israël erat parvum synedrion, constans ex viginti tribus iudicibus. Illi iudicabant de causis, quæ aliquid habebant controversiæ. <sup>3</sup> Hierosolymis erant septuaginta duo iudices, qui de summis causis cognoscebant. Atq; hoc iudicium erat ultimum & summum, ideoq; dicebatur synedrion magnum, synagoga magna & magnum prætorium.

### X C V.

Omnis igitur potestas, non erat apud solum Sacerdotem summum, sed potius apud Synedrion istud Hierosolymitanum, ad quod ipsum etiam à Pontifice appellabatur, & quod Pontificem iudicabat, aliosq; iudices constituebat, uti ex Talmudistis docet Petrus Galatinus, lib. 4. de Arcanis

canis



*canis catholice veritatis cap. 5. Hæc enim ipsius verba: Non erant iudicantes tribunal vel sceptrum, neque Pseudopphetam, neque Sacerdotem magnum, nisi domus iudicii septuaginta duorum iudicum. Adstipulatur etiam Josephus lib. 4. Antiquitatum Judaicarum. cap. 8. Si iudices, inquit, non intelligant de rebus sibi creditis iudicare, quæ admodum multa talia hominibus solent provenire; integram causam in urbem sacram remittant, & conveniens Pontifex & Propheta, & Seniores, quæ eis videntur iusta, pronuncient.*

## X C V I.

*Ex enumeratis igitur satis patere existimo, quod summus Sacerdos in Veteri Testamento, primus quidem fuerit, & quasi generalis Superintendens omnium Levitarum, cui, legem Domini proponenti, necessario parendum erat; qui Ecclesiarum & omnium Synagogarum curam atque inspectionem habebat, pro populo orabat, sacrificabat, & sanctum sanctorum solus ingrediebatur; falsa tamen sit Papicolarum assertio, quod Regibus non fuerit subiectus, quod errare non potuerit, quod absolutam, & ultimam, & illimitatam iudicandi, disponendi, dispensandiq; qualem suo Deastro adscribunt, potestatem habuerit. Nihil ergo patrocinii pro Monarchiâ universali invenire amplius poterunt in Levitico Veteris Testamenti Pontificatu, cum & hic, & primatus Pape multis omnino modis discrepent.*

## X C V I I.

*Ulterius autem queritur, annon ex Pontificatu isto vel hoc saltem, ob Testamentorum analogiam & conformitatem rectè colligatur, quod, sicut in Veteri unus fuit Sacerdos summus, & generalis Episcopus, ita & in Novo, pari ratione, possit & debeat toti Catholice Ecclesie unus Pontifex universalis præfici, etiamsi non summa & universalis, sed saltem aliqua ipsi potestas, vel modò generalis omnium Ecclesiarum cura & inspectio concedatur?*

## X C V I I I.

*Ita quidem firmiter inferri posse arbitrantur Pontificii, præsertim Bellarminus l. 1. c. 9. col. 629 B. ita scribens: Cum istius temporis Ecclesie (intelligit autem tempus Veteris Testamenti) Ecclesie huius temporis figura fuerit, ratio omnino exigit, ut sicut illa præter Deum invisibilem rectorem, unum habuit rectorem visibilem, ita quoque & ista habeat.*

## DISCURSUS THEOLOGICUS

habeat. Nulla siquidem perfectio in figurâ reperiri debet, quæ non reperitur, & quidem exactius in exemplari. *Hæc ibi.*

### X C V I I I.

*Sed quid hoc aliud est, quàm manifestè ἰσθαίρειν, & dudum abrogatas leges Mosaicas vicissim canonizare, ac libertatem Christianæ Ecclesiæ prodere? τῆ ἐλευθερίᾳ, ἣ χειρὸς ἡμῶν ἠλευθέρωσε, σῆκετε, καὶ μὴ πάλιν ζυγῶ δαλείας ἐνέχεσθε præcipit Apostolus Gal. 5. v. 1. Et usitata est Theologorum regula hæc: Ceremonialia ante Christum erant viva, cum Christo sunt mortua, sed post Christum mortifera.*

### X C I X.

*Hinc igitur deduco, quòd, licet in Veteri Testamento Pontificatus universalis vigerit, in Novo tamen locum non inveniat, I. propter σκιαῖς & ὑποδείγματῶν sublationem. Gubernata fuit Ecclesia Judaica per ministerium typicum, quod erat umbra rerum futurarum. Coloss. 2. v. 17. Heb. 8. v. 5. Etenim Pontifex summus, & tota illa Hierarchia Veteris Testamenti, quid aliud erat, quàm typus præfigurans venturum Ecclesiæ sacerdotem verum & maximum Christum Iesum? quo exhibitò, σκιάν istam cessare, & σῶμα ἄλλο locum relinquere necessum est: ex quo argumentum Jesuiticum planè inverti, & non instauratio, sed abrogatio visibilis Pontificatus firmiter concludi potest.*

### C.

*Sic enim infero: Quicquid pertinet ad umbras Leviticæ, & legem ceremonialem, jam penitus abrogatam, istud sine impietate redintegrari nequit. Atqui Hierarchia Judaica, & Pontificatus iste visibilis, pertinuit ad umbras Leviticæ, & legem ceremonialem. Notavit enim venturum esse aliquem, qui sit Ecclesiæ universæ verus dux, verus Mediator & sacerdos, non secus atq; Leviticus Pontifex non saltem præsidebat, sed & expiabat populum, qui certè typi in nullo alio, quàm in Christo repleri possunt. Ergò Hierarchia Judaica, & visibilis iste Pontificatus, in Novo Testamento sine impietate redintegrari nequit.*

### C I.

*Sin autem exceperint, id ipsum quod in figuris fuit, in exemplari, & antitypo exactius reperiri, equidem haud invito hoc concedemus, si ad  
Chri-*

Christum, qui solus est præfiguratus, respiciatur. Hic enim multis modis excellentior Pontifex, sacerdos, & Mediator est, quam vetus ille: hic solus Ecclesiam suam potenter conservare, & clementer adjuvare, omniaq; ejus peccata expiare potest.

## C I I.

Quod si autem præter Christum, ad alium quempiam visibilem, Monarcham vel Papam, veteris istius Pontificatus typum applicare tentaverint, respondebo ipsis 1. quòd Theologia typica & parabolica non sit argumentativa. 2. quòd Christo detrahant, ac si is non sufficienter implevisset typos veteres, sed duntaxat dimidiatè, quippe bonà parte adhuc per hominem implendà. 3. quòd universa Scriptura typorum veterum, & præsertim Pontificatus & Sacerdotii, alium antitypum non nominet, vel obliquè saltem indicet, quam solum Christum. Epistola certè ad Hebræos omnes Pontificis veteris præfigurationes accuratè exponens, & ad antitypum accommodans, ne verbulo quidem, Papæ aut Monarchæ visibilis, præter Christum, meminit, sed hunc solum, esse istum olim præfiguratum Pontificem, Sacerdotem & Mediatorem disertis verbis indicat.

## C I I I.

Memores igitur esse debebant regula, à B. Chryostomo, omnibus Scripturæ interpretibus super c. 20. Matthæi, his verbis præscripta: ἀποδείγματα ἔ πάντα καθόλης δέϊ λαμβάνειν, αἰτὶ εἰς ὅπερ παρείληπται, τὸ λείπον ἅπαν ἕαν. In exemplis & typis non omnia sunt accipienda, sed electo eo, propter quod adducuntur, reliqua omnia sinamus. Nam, si typum Hierarchie Ecclesiasticæ nimis latè extendamus, & singula pressè urgeamus, annon & sequetur, Ecclesiam ad unum duntaxat populum alligatam, & Pontificem Novi Testamenti consimiliter hostias de animalibus offerre, & Hierosolymis sedem debere figere? Tota igitur Politia Iudaica, omnesq; leges ceremoniales de immundis animalibus, de vestitu, de hereditate Levitarum, de sacrificiis, aliisq; rebus dudum abrogatis revocandæ essent.

## C I V.

Hæc omnia cum sint absurdissima, agnoscant tandem Papicole, non esse pro arbitrato typos quosvis in constitutionibus Mosais singendos, sed duntaxat eos eligendos. 1. qui non sunt nimis remoti. 2. qui in ipsis Scripturis fundati. 3. qui manifestè à Christo vel Apostolis explicati. & 4. Christianæ libertati non sunt contrarii. aut 5. disertis verbis in Novo Test. rejecti: quæ conditiones omnes à fictâ istâ Pontificatus Rom. præfiguratione quàm longissimè absunt.

E

105. Pro-

II. Propter disparem Ecclesiae Iudaicae & Christianae conditionem. Illa enim uno loco continebatur, & ad unum populum Israëliticum erat alligata, Psal. 147. v. 19. 20. proinde ab uno homine gubernari facile poterat, praesertim cum sacerdotes & Levitae, quibus praerat Pontifex, quoad maximam partem, eadem urbe Hierosolymitanâ vixerint, terra etiam Palaestina tam ampla non fuerit, quin in casibus dubiis singulis summum istum sacerdotem statim adire & audire potuerint: Haec autem jam per universum terrarum orbem diffusa Esa. 54. v. 1. & seqq. Matth. 26. v. 13. Marc. 14. v. 9. Coloss. 1. v. 6. ad nullum locum, ad nullam gentem alligata est, Ephes. 2. v. 14. 15. ideoque impossibile, ut vel unus homo oneri isti ferendo par esse, aut omnes Christiani hunc visibilem iudicem convenire, & ejus sententiam coram audire possint, praecipue quando res omnino est dubia, partesque litigantes iudicio legatorum stare recusant.

## C V I.

Si enim accuratè rem consideraverimus, certè Iudaica Ecclesia, ratione Christianae & Novi T. saltem particularis fuit, ideoque ab uno gubernari potuisse, quid mirum? Sicut enim & apud nos omnes unius provinciae & regionis Ecclesiae, saltem pro particulari habentur Ecclesiae, ideoque Praepositi ac Superintendentes generales ordinantur, qui curam & inspectionem habeant earum, visitando, consulendo, casusque ambiguos juxta verbum Domini componendo: Ita & Iudaica Ecclesia, quia unius saltem regionis erat, verè particularis duntaxat fuit, non universalis, vel per universam terram dispersa, quam ob causam unum generalem Episcopum habere potuit facilimè.

## C V I I.

Jam autem à particulari, ad universalem Ecclesiam argumentari velle, vitiosam parit consequentiam. Num enim, quia unus uni civitati aut regioni praest, tu hinc statim concludes, eum universo terrarum orbi, rectè praesse posse aut debere? Num, si omnes unius provinciae inhabitatores suum adeunt & Principem, & Pastorem generalem, uno loco residentem, id protinus etiam ab omnibus, per totum terrae latifundium dispersis, equè fieri posse existimabis?

## C V I I I.

Cum igitur inter μερικόν & καθολικόν, inter particulare & universale summa sit differentia, ob id Ecclesia Novi Test. minimè omnium iuxta Veterem Iudaicam disponi & conformari poterit, quandoquidem haec particularis, illa universalis, haec determinata, illa indeterminata, &

ta, &

ta, & nullatenus adstricta est, ideoq; ob negotiorum multitudinem, ob locorum distantiam, & ingenii humani imbecillitatem ab uno administrari nequit.

## C I X.

III. Propter aliam evitandi periculi rationem, Conservabatur Ecclesia ordinariè, in solo populo Iudaico, & ex eo tantum expectari poterat. Messias: quapropter isto totaliter seducto, tota Ecclesia periisset, omnesq; promissiones divinae fuissent annihilatae. Quoniam verò undiquaq; istum populum circumstabant gentes idololatricae, falsiq; Prophetae passim predicabant, quin & Iudaei ad Idololatriam, naturali quodam vitio, propendebant, atq; sic seduci facillimè poterant, ideo ad evitandum universalis defectionis periculum, visibilem quendam Pontificem ordinavit Dominus, qui legem librosq; sacros conservaret, qui genealogias, tribuumq; & familiarum discretionem accuratè observaret, quem Iudaei semper consulerent, & de voluntate Iehovae interrogarent, ipsiq; ita, & in unitate cultus, legumq; observatione unanimi facilius continerentur, & à seductorum insidiis & captiunculis melius preservarentur.

## C X.

Jam autem, cum Ecclesia amplius alligata non sit ad locum, populumve unum, externaq; legum forensium & ceremonialium observatio haud exigatur, propterea non adeò timendum est periculum interitus universalis, siquidem, etiamsi gens una à fide deficiat tota, manere nihilominus possunt veri Christiani, aliis in locis, atq; sic propter hanc etiam causam Pontificatus visibilis non est ita, ac in Veteri T. necessarius.

## C X I.

I V. Propter contrariam Christi dispositionem. Etenim, licet demus summum Pontificem in Veteri T. verè fuisse Monarcham Ecclesiae, summamq; & ultimam jurisdictionem habuisse, ita, ut ab ipso ad synedrium appellare nemo debuerit: licet etiam concedamus, Hierarchiam Iudaicam optimè fuisse dispositam, ita, ut videatur utile & proficuum, si simile regimè in Novo quoq; T. instituatur: attamen, si evidentibus Scripturarum testimoniis demonstrari queat, Christum sustulisse istam gubernandi formam, & noluisse, ut porro ab uno, atq; sic Monarchicè tota Catholica Ecclesia administraretur: annon ista concessa omnia erunt infrugifera, & ad Primatum Papalem stabiliendum inefficacia? Istud autem in seqq. questionibus me inviète ostensurum polliceor; quâ ratione cadent, atq; in fumum dissolventur argumenta omnia, quae à Pontificatu veteri desumere, susq; & plausibiliter urgere solent Papicola.

DISCURSUS THEOLOGICUS  
CXII.

*Vicissim igitur, & in hoc altero problemate, suam produunt malitiam & imperitiam, dum ex Test. Veteris regimine qualitatem et modum Novo colligere præsumunt, cum potius ante omnia, Christi ordinationem & dispositionem intueri deberent. Qualiter enim hic Ecclesiam suam in Novo T. gubernari præcepit, taliter etiam præcisè gubernanda est, sive ea regiminis forma cum Hierarchiâ Judaicâ conveniat, sive ab eâdem multis quoq; modis differat.*

*Questio Quarta.*

Num Christus tempore visibilis  
conversationis in terrâ, more Papali, Monarcha fuerit?

CXIII.

*Expositum modò fuit synagoga Mosaica regimen: jam porrò ad ipsam Novi T. Ecclesiam per λόγος ἐνσπέρκωσιν, Evangeliiq; prædicationem, feliciter inchoatam accessum facio; cujus primordia, & gubernandi forma, diligenter veniunt consideranda, ut sic appareat, quanto intervallo à priscâ istâ administratione discrepet Romana & Pontificalis Monarchia, quàm nihil ferè sit, in quo fictitio isti vicario Christi, cum Christo ejusq; dominio conveniat.*

CXIV.

*Initiò autem extra controversiam positum est, Christum in his terris suam rexisse Ecclesiam, ejusq; Magistrum, Pastorem, Regem, Sacerdotem, & Pontificem visibilem fuisse, cum hoc, & dicta, & facta Christi plurima attestentur: istud verò in dubium vocatur, An talem Christus Monarchiam his in terris incœperit & exercuerit, qualem Papa, velut Christi vicarius, sibi arrogat, & continuare præsumit?*

CXV.

*De quo quidem erotemate, quæ Pontificiorum sit sententia, haud obscure innuit Bellar. l. 1. c. 9. col. 633. A. ita argumentans: Constat Ecclesiam à Christo congregatam, cœpisse initiò regimen visibile & externum habere Monarchicum, non Aristocraticum, aut Democraticum. Christus enim, cum in terris degeret, eam visibiliter administrabat,*

strabar, ut summus ejus pastor & rector, ut etiam fatentur Magdeburgenses Centur. i. l. i. c. 7. col. 268. & seq. Igitur etiam nunc habere debet Ecclesia externum & visibile regimen Monarchicum, alioqui non esset Ecclesia, quæ nunc est, eadem civitas DEI cum illâ. Ut enim Philosophus docet l. 3. Polit. c. 2. civitas dicitur eadem specie, donec remanet eadem forma Reipub. id est, idem communis gubernationis modus, quo mutato, mutatur etiam civitas.

## CXVI.

Quæ in argumentatione Bellarminianâ tria proponuntur. 1. Quod regimen primæ Ecclesiæ in Novo T. fuerit Monarchicum, ubi si quid obtinere velit, necessum est, ut primatum intelligat talem, quo suum Pontificem, Christi vicarium, gaudere existimat. Si enim Christus aliud regnum habuerit, regniq; modum observârit alium, quomodo Papa ejus vicarius, & in administratione successor esse poterit? 2. Quod hoc ipsum quoq; Theologi Magdeburgenses in Historiâ Ecclesiasticâ fateantur, & 3. Quod hinc sequatur, & nostro tempore eadem ratione gubernandam esse Ecclesiam, si modò unitas atq; identitas specifica civitatis DEI manere debeat.

## CXVII.

Cum verò membrum secundum, Theologos Magdeburgenses citans, omninò falsum sit, quoniam ii Christum, Ecclesiæ rectorem & caput verè nominant, Papalem autem Monarcham fuisse, ubiq; fermè negant; ob id de primo & ultimo duntaxat membro hîc agam. Viq; hoc fiat magis ordinatè & perspicuè, orthodoxam nostram sententiam, duabus assertionibus inclusam propono.

## CXVIII.

*Affertio prima:* Christus tempore visibilis conversationis non fuit, non esse voluit Monarcha Ecclesiæ, more modoquæ, Pontificibus Romanis usitato. *Quam thesin, licet per se certissimam & indubitatam, nihilominus manifestis confirmabo, tum Scripturæ dictis, tum etiam Christi factis.*

## CXIX.

Dicta, quibus hoc evinco, sunt potissimùm duplicia, I. urgeo ea, quæ loquuntur de Regni Christi spiritualitate, unde sic colligo: Regnum Christi est spirituale, & non de hoc mundo. Regnum Papæ non est spirituale, sed temporale, & de hoc mundo. E. Regnum Papæ non est regnum Christi: ille igitur hujus prorex & vicarius quo-

E 3 modo

DISCURSUS THEOLOGICUS

*modo erit? Urget hoc argumentum Dn. D. Heilbrunnerus in Papatu Pseudocatholico, artic. 14. c. 1 p. 273.*

C X X.

*Maiorem multis Prophetis testimoniis confirmare possem, sed sufficient hinc duo Evangelica: quorum prius extat Luc. 17. vers. 20. ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως, cum observatione, hoc est, cum externâ pompâ, cum magno apparatu, in oculos incurrente, & homines ad observandum & contemplandum sollicitante: posterius Iohan. 18. v. 36. ubi respondit Iesus Pilato: ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἐστὶν ἐκ τούτου κόσμου τούτου: Nam si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Vbi certè Christus omnem mundanum à regno suo removet, ut etiam externam ministrorum suorum decertationem cum Pharisæis, alienam & non concessam indicet.*

C X X I.

*Cujus quidem dicti tanta vis & lux est, ut hanc confessionem à Gretsero, mendacissimo aliàs Iesuitâ extorserit in Defens. l. 5. de P. R. c. 4. § 5. col. 1151. D. Verba Christi, inquis, plana sunt. Quis enim sensus illis subjici potest, præter istum, nisi quis ea distorquere velit? Regnum meum non est de hoc mundo, hoc est, non est mundanum, non ejusmodi, quali regno & imperio Reges terræ gaudent ac potiuntur. Neque enim Pilatus aliud interrogaverat, quam utrum Rex terrenus & temporalis esset. Quapropter accommodatè ad quæstionem Pilati simpliciter negavit Christus, suum regnum esse de hoc mundo.*

C X X I I.

*Iam verò si attentius consideraveris universam istam Romanæ Ecclesiæ Hierarchiam, Deum bonum! quanta ibi pompa, quantus splendor, quanta dignitas, ita, ut aliter judicare nequeas, quam sicut Christi regnum fuit coeleste, ita Pontificis terrestre; sicut illud spirituale, ita hoc carnale; sicut illud totum divinum, ita hoc totum mundanum esse.*

C X X I I I.

*Ipsi Belicole vel Papicole, summam externam & temporalem, (quæ utiq; de hoc mundo est.) potestatem Pontifici attribuunt. Bellarm. certè l. 4. de P. R. c. 22. triplicem in Pontifice, aliisq; Episcopis potestatem esse contendit, unam ordinis, alteram jurisdictionis interioris, tertiam jurisdictionis exterioris ad Populum Christianum regendum in foro exteriori. Johannes Pelecyus in disputat. de Ecclesiastic. Hierarch. thesi 43. scribit:*



*scribit: Pontificis officium in specie duplex est, spirituale & temporale. Annon autem forum exterius, annon jurisdictio temporalis, & exterior populi gubernatio de hoc mundo est?*

## C X X I V.

*Præterea, si aulam, si opes, si provincias, si ipsum habitum & ornatum Pont. Romani cogitaveris, annon species tantum mundane menti tue obversabuntur? Videbis enim Papam purpurâ regiâ indutum, triplici coronâ aureâ superbientem, in sellâ sublimi, veluti Deum terrestrem, magnâ comitante catervâ, portari. Videbis eum dominantem Regibus, colla Imperatorum prementem, omnibus delitiis affluentem, sceptrum & armagestantem, censusque & vectigalia, magno cumulo ad se rapientem. Videbis ante eum prostratos Duces, Principes & Reges, sceleratis pedibus oscula figentes, & Deastrum istum, submissè adorantes.*

## C X X V.

*Quod si unâ processeris in templa vel delubra bestie, cernes ibi magnum luxuriosarum vestium apparatus, ingentes fictorum Idolorum thesauros, auriq, & argenti haud parvam copiam. Collegia Iesuitarum si intraveris, palatia regia, & splendidissima conclavia ostendentur, omni opum genere refertissima, redditibus annuis cumulatissima. Tunc verò hæc cœlestia, non terrestria; spiritualia, non carnalia; divina, non mundana, non de hoc mundo esse existimabis?*

## C X X V I.

*Porro, si arma, si bella, si pugnas & concertationes Romanorum Pontificum; si armatam militum manum, quâ semper stipantur & defenduntur, memoriâ paulatim repetiveris, num eos cum Christo reris affirmare posse, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utiq, decertarent, ut non traderer? Putâsne juratos Papæ satellites non esse decertaturos pro suo Domino, si quem audiverint, vel unum saltem contumeliosum verbulum proferentem, nedum si Papam rapi, trahi, tradiq, hostibus viderent?*

## C X X V I I.

*Imò; non saltem Pontificum ministri, sed & ipsi sanctissimi, scilicet Patres spirituales sæpè decertârunt, & classicum cecinerunt: seq, id ipsum facere prætenderunt, ratione vicariatus, ob curam regni, quod tamen*  
Christus

## DISCURSUS THEOLOGICUS

*Christus de hoc mundo esse negavit, cuius arma non sunt carnalia, sed spiritalia, 2. Cor. 10. v. 4. quod verbo, non ferro; stylo, non pilo, uti plantatum, ita & propagandum est.*

### C X X V I I I.

*Julius II. bellis gerendis totus erat occupatus, eoq; duce & authore, intra septennium, ducenta millia hominum perierunt, qui etiam aliquando contra Gallos in pugnam profecturus, claves Petri auratas, in Tyberim projecit, & coram omni populo, evaginato gladio, in hac verba erupit: Quia Petri clavis nihil valet, valeat gladius Pauli, recitante Osiandro, Centur. 16. l. 1. c. 9 p. 16. & 17.*

### C X X I X.

*Georgius VII. Suevorum ducem, Rudolphum, Paschalis II. Henricum V. filium, adversus Imperatorem Patrem Henricum IV. Eugenius IV. Ladislaum, Vngariae Regem contra Turcas, quibus tamen induciae juramento promissae erant; Georgius IX. contra Sultanum, Henricum II. alii alios excitârunt & armârunt, idq; cum præcipue in finem, ut potentiâ Romanorum Imperatorum fractâ, provincias regni facilius ad se recipere, & Caesares Pontificali solio, sine labore, subjicere possent.*

### C X X X.

*Quin & ipsi Episcopi Romani, Patris sui vestigiis insistentes, arma, quam Biblia sæpius tractârunt. Siphridus, Episcopus Coloniensis, homo cruentus, Adolphum, Comitem Montensem, non armis tantum persecutus est, sed etiam contra jusjurandum cepit, & ad teterrimum, carcerem damnavit. Aestate verò solitus est illum cavea ferrea, melle illita, nudum includere, muscarumq; morsibus & aculeis obficere, sicuti legitur in Chronico Coloniensi. Geroldus, Vormatiensis Episcopus, belli studiis similiter delectabatur, tandemq; etiam gladio transfossus periit, de quo extat Epigramma:*

*Ense Geroldus obit præsul, quia dimicat ense:  
Perplacet ergò chorum non adiisse forum.*

### C X X X I.

*Nota præterea sunt bella alia, quibus in ipsum sanguinem Christianum horribiliter sevitum fuit: Nota est persecutio tragica Waldensium, de quâ apud Sleid. l. 16. Nota est irruptio in Evangelicos Germaniae Principes, in quâ Alexander Farnesius, post Paulus III. tali furore per-*  
citus

aituserat, ut tyrannicè minaretur, se Evangelicos in Germaniâ sic  
conversurum, ut equus cui infideat, Lutheranorum sanguine, totus  
ad genua usque, madere & squalere debeat. *Sleid. lib. 17. m. p. 534.*

## C X X X I I.

Quis etiam lanienam istam Parisiensem, quis horribiles Christia-  
norum persecutiones in Galliâ, Angliâ, Scotiâ, Belgio, & Germaniâ i-  
gnorat? Paulus Vergerius, Episcopus Justinopolitanus, quem aliquoties  
legatum in Germaniam misit Pontifex, scribit, suâ etate, intra annos tri-  
ginta, 150000. Christianos, diversis in locis, ex inquisitione pravitatis here-  
tica, alios aliis tormentis atq; suppliciis, esse trucidatos.

## C X X X I I I.

Ad quam crudelitatem licet per se satis propensi sint Pontifices, ta-  
men magis magisq; semper incitantur à suis Cardinalibus, Monachis &  
sanguinariis Iesuitis. Hinc suaserunt, confessionem Refutationis Augusta-  
ne non atramento, sed sanguine scribendam esse. Anno 1582. cum Augusta  
haberentur Comitia, Pellanus quidam dicebat: Sic jam mihi Catholi-  
ci, quorum major copia est in urbe, obedirent, suaderem, ut omnes  
Lutheranos, summos & infimos occiderent. Sic enim pacem habituri  
essemus, & Papæ in novo Calendario satisfacere possemus, quod  
nunquam fiet, quàm diu in medio nostri, protestantes vivere passi fu-  
erimus.

## C X X X I V.

Crusius Iesuita Landsbergæ dixit: Illud hominum genus (Lu-  
theranos intelligit) nō alia ratione, quàm ignis ardore emolliiri & dissol-  
vi potest. Christophorus Zieglerus Stutgardianus, Suasor inquit, essem,  
ut omnes clerici & devoti, omnes Monachi & Canonici, & quicumq;  
per vires possent, concurrerent, & uno impetu VVürtembergâ inva-  
derent, resistentes contrucidarent, & sic illorum templa & scholas  
nostri inhabitarent. Ex Hasenmülleri Historia, c. 6.

## C X X X V.

Ecce quàm diversissimi sint ingenii, Christus & Papæ; Christi & Papæ  
ministri. Ille mundanum omne odit, & ex regno suo proscripsit: Hic nullâ re  
a'ia magis, quàm fastu luxuq; mundano delectatur: Illius ministri non cer-  
tabant, nec certare debebant, ideoq; Petro ensem in vaginam recōdere præ-  
cipiebatur, Matth. 26. v. 51. Hic & ipse ad prælium descendit, ejusq; mini-  
stri nil fermè aliud, quàm bella, quàm arma, mina q; spirant, totumq; regnū  
Pontificium, ad sanguinem humanum effundendum, quàm conservandum  
est paratius, ita, ut & Papæ, totiusq; Papatus vivam hypotyposin & imaginem  
expresserit Palingenius in Capricorno, his versibus:

F

Pon-

## DISCURSUS THEOLOGICUS

Pontifices nunc bella juvant, sunt cætera nugæ:  
Nec præcepta Patrum, nec Christi dogmata curant.

C X X X V I.

*His ergò ita stantibus, invicta manet conclusio nostra, Christum more Papali Monarcham non fuisse, sed regnum eius ab Hierarchiâ Romanâ tanto discrimine fuisse sequestratum, ut quidvis potius, quàm hæc duo conciliari queant, siquidem illud de mundo non fuit, hoc autem & est, & fuit de mundo, omnemq; suam vim & æκμὴν, in mundanis opibus, armis, & præsiidiis habet positam.*

C X X X V I I.

*II. Propono ista dicta, in quibus Christus disertè fatetur, se ad ministrandum, non dominandum venisse, qualia sunt Matth. 20. v. 28. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare; & Luc. 21. v. 27. Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat: quibus certè in locis, omnem primatum mundanum Christus à se longissimè remotum indicat. Dicit quidem Iohan. 13. vers. 13. Vos vocatis me, Magister & Domine, & benè dicitur, sum etenim: quæ loca videntur contraria, cum magister non sit minister, & contrâ. Verùm sciendum, quòd aliud sit Magisterium Ministeriumq; carnale & mundanum; aliud verò spirituale & divinum.*

C X X X V I I I.

*Christus solus verè est summus Magister & Dominus Spiritualis, nec in isto Dominatu ullum habet socium aut collegam: Minister verò est, servus, & habitu servi inventus, si Ministerium mundanum intellexeris. Quamdiu enim hic in terris fuit conversatus, non regio & mundano more imperavit, non in aulâ quadam splendidâ resedit, sed omnium miserrimus fuit, nihil proprii habuit, & veluti pauperrimus famulus reputatus fuit. Atq; hoc est, quod dicebat, se non ministrari, sed ministrare venisse, & in eo se omnibus Apostolis & discipulis exemplum relinquere.*

C X X X I X.

*Num verò & Papa Romanus imitatur hunc suum antecessorem, cuius se vicarium jaçtulat? Equidem nonnunquam servum servorum Domini, fictâ humilitate se appellitat, alibi autem & Dominus Dominantium salvari vult; quin & factò ipso declarat, se nihil magis, quàm ministerium mundanum odisse. Etenim Imperatorum colla pedibus premere, Reges pro arbitrato deponere vel eligere, ab omni secularis jurisdictionis iugo se eximere, innumeris militibus stipatum esse: hoc cine*

*est*

*est ministrare mundano more, hoccine est servire & servum servorum esse?*

## C X L.

Adrianus IV. referente Aventino lib. 6. in arrogantissimâ epistolâ suâ, de Romano Imperio sic scribit: Ecce in potestate nostrâ est, ut demus illud, cui volumus, propterea constituti à DEO super gentes & regna, ut destruamus & evellamus, & ædificemus & plantemus. Bonifacius VIII. scribens ad Philippum Puchrum, Gallia Regem, Scire, inquit, te volumus, quòd in temporalibus & spiritualibus nobis subes: cui Rex ita jure respondit: Sciat tua magna fatuitas, in temporalibus, nos alicui non subesse.

## C X L I.

Innocentius III. tam humilis erat, ut ad conventum Dimotiensem scriberet: Ecclesia Romana debitum reverentiæ nulli prorsus impendit, nisi Romano Pontifici; qui post DEUM alium superiorem non habet. Sermone I. in Consecr. Pontif. servilis ille animus in hæc verba erupit: Quis sum ego, aut domus patris mei, ut sedeam excellentior Regibus, & solium gloriæ teneam? Mihi namque, dicitur in Prophetâ, Constitui te super regna & gentes: Mihi dicitur in Apostolo; Tibi dabo claves regni cœlorum.

## C X L I I.

Hæc illa est Pontificum Romanorum humilitas; hoc istud submissum ministerium, de quo non immeritò scripsit Eberhardus, Archiepiscopus Salisburgensis, apud Avent. lib. 7. Flamines illi Babylonix soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt, non desistent, donec omnia pedibus suis conculcârint, atque in templo DEI sedeant, extollanturque supra omne id, quod colitur. Qui servus servorum est, Dominus Dominorum, perinde ac si DEUS foret, esse cupit. Sacros cœtus atque concilia fratrum, imò Dominorum suorum spernatur: Ingentia loquitur, quasi DEUS esset: Idem senserunt olim Coloniensis & Trevirensis Episcopi, Anno Christi 858. qui Papam Nicolaum I. sic allocuti sunt. Juxta disciplinam Servatoris nostri infimus es omnium ministrorum templi DEI: tu verò libidine dominandi in præceps abis: QVICQVID TIBI LIBET, LICET. FUCVS factus es Christianis. Aventinus lib. 4.

## C X L I I I.

*Neq; verò tantùm ipsi Pontifices tam fuerunt elati, quin & clerici*

*F 2*

*ceteri*

## DISCURRUS THEOLOGICUS

ceteri omnes, præ se contemserunt alios, sibiq; ministrari, non ministrare voluerunt, de quâ illorum superbiâ conquestus est ipse Papa Innocentius *serm. 2. in die cinerum*: *Tanta, ait, est superbia Clericorum, ut nunquam ad satisfactionem possint humiliari, non imitantes eum, qui dicit, discite à me, quia mitis sum & humilis corde, qui non venit ministrari, verum ministrare: sed illum, qui posuit sedem suam ad Aquilonem, ut esset similis Altissimo, qui est Rex super omnes filios superbiæ.* *Henricus Cornelius Agrippa, Imperatoris Consiliarius dixit*: Omnium admirabilium admirationem hoc vincit, quòd nostri Sacerdotes iisdem mediis se cœlum posse ascendere putant, quibus Lucifer olim cœlo decidit.

### C X L I V.

*Ex quibus vicissim firmiter concludo, regnum Christi Papæq; esse diversissima, quandoquidem ibi ministerium, hic magisterium; ibi humilitas, hic fastus; ibi paupertas, hic merus luxus meræq; sunt delitiæ. Quomodo igitur Christus Pontifex Romanus fuit, quomodo Monarchiam Papalem incipere potuit. aut quâ ratione archislamines Romani proreges, vicarii, & successores Christi salutari queunt? nisi fortè quis cum Gregorio Nazianz. ita succedere dicat, quemadmodum morbus sanitatem, tempesta tranquillitatem, & dementia prudentiam subsequitur.*

### C X L V.

*Tandem verò si facta Christi cum factis Pontificum contuleris, DEVM immortalem, quantam ibi dissonantiam, quantam pugnam & discrepantiam deprehendes! Johan. 6. v. 15. cum Iesus cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent Regem, fugit in montem ipse solus, quoniam noluit terrestre & seculare regimen in terris administrare, noluit mundano more Rex & Monarcha esse, quandoquidem hoc regno suo spirituali dicæ πᾶσῶν contrarium noverat. Papa autem Romanus ad eò non fugit secularem dignitatem, & temporalem jurisdictionem, ut potius omni opere & operâ eam affectaverit olim, nunc exerceat, & Ecclesie totius salutem in eâ positam mentiat.*

### C X L V I.

*Christus, quamvis esset Rex Regum, & Dominus Dominantium, nulliq; homini iure subiectus, tamen, ut ipse præberet exemplum, quemvis Magistratui politico debere subditum esse, tributum Cesari & pro se, & pro Petro libenter pendit, Matth. 17. vers. 17. Pontifex verò Romanus pro superiore neminem agnoscit, ab omni seculari juris-*  
dictio-

*ditione clericos suos simpliciter exemptos fabulatur, censumq; non dat, sed sibi dari expetit, imò rapit, & exigit. Christus Luc. 12. nolebat dividere hereditatem, quia non sit constitutus iudex aut divisor super homines. In quæ verba Ambrosius scripsit: Bene terrena declinat, qui propter divina descenderat. Papa autem, tribunal terrestre & iudicium de rebus humanis non declinat, sed affectat, imò tyrannicè usurpat.*

## CXLVII.

*Christus in summâ vixit paupertate, nec habuit ubi caput suum reclinaret, Matth. 2. v. 20. & Luc. 9. v. 58. Papa autem Romanus, & arces splendide edificatas, & urbes probè munitas, & provincias possidet amplissimas. Ut summatim dicam, Christus ministrabat, Pontifex regnat; ille obambulabat, hic inequitat: ille vim pertulit, hic infert: ille fame fitique macerabatur, hic lautè delitatur: ille convitiis onerabatur, hic divitiis ornatur: ille cruci affigebatur, hic beligeratur; ille censum solvit, hic sumit: ille docebat in templo, hic sedet in tribunali: ille iudicatus est, hic iudicat: ille humilis, hic sublimis: ille pauper, hic dives: ille servus, hic Dominus. Ecce quàm bella inter Christum Papamq; harmonia! Hoc nimirum est Christo sub Christi vexillo rebellare, & militare Satanæ; quod de Pontifice, totoq; Clero Romano rectissime scripsit Franc. Petrarca epist. 17.*

## CXLVIII.

*Cùm igitur jam satis constet, Christum nullatenus Papam, vel Ecclesie Monarcham, more Papali fuisse, queritur ulterius, Annon vel istud duntaxat ex Christi exemplo sequatur, ut quemadmodum ille curam habuit & inspectionem omnium Ecclesiarum, sic etiamnum quendam esse eligendum Episcopum œcumenicum, licet illi nec potestas secularis & Papalis concedatur, nec tantæ opes & divitiæ conferantur?*

## CXLIX.

*Verùm & hic negativam tuemur, estq; hæc nostra assertio secunda: Christo in regimine Ecclesiastico nullus successit alius Episcopus universalis, nec ut succederet aliquis, unitas ista et convenientia Ecclesie subsequenter cum priori exigebat.*

## CL.

*Prius illud confirmo, 1. quia Christus suo se munere non abdicavit, sed adhuc manet Ecclesie suæ caput, Pontifex, ἀρχιεπίσκοπος,*

## DISCURSUS THEOLOGICUS

ἰσχυροῦ & fundamentum; 3. Cor. 3. vers. 11. 2. Cor. 11. v. 2. Colofs. 2. v. 19. Hebræor. 7. v. 21. 24. 1. Petri 5. v. 4. Id autem in quo succeditur, in successorem semper derivatur. Si igitur Christo successisset in regno Pontifex, tum Christus non amplius Rex esset, quod blasphemum.

### C L I.

2. Quia Christus ab Ecclesiâ suâ, nec etiam secundum humanitatem abest, sed illi semper presentissimè adest, quod satis evincunt & promissiones Matth. 18. v. 20. 28. v. 20. Joh. 6. v. 56. 14. v. 23. & promissionum complementa. Marc. 16. v. 20. Act. 23. v. 11. 1. Cor. 15. v. 8. Apoc. 1. vers. 3. Illi autem, qui presens est, & presenter suum administrat regnum, non succeditur, nec ut succedatur, necessum est.

### C L I I.

Posterius evinco ex vulgato isto principio Logico; Modus rem non variat. Vna igitur eademq; manet Ecclesia, unum quoq; idemq; eius regimen, licet differentia quedam sit in modo, quatenus Rex & sacerdos Christus, primo tempore visibiliter, nunc verò invisibiliter suis fidelibus præest. Equidem, si formæ regiminum mutantur, ita, ut Monarchia in Aristocratiam vel Democratiam transeat, ibi tum quodammodo sententia Aristotelica obtinet, & unitas specifica labefactari videtur. Hoc autem nullatenus factum tempore Novi T. cum regimen Ecclesie ratione Christi & adhuc sit Monarchicum, ratione discipulorum, Christi, & tum fuerit Aristocraticum.

### C L I I I.

Imò, si res accuratè consideretur, unitas Ecclesie non erit estimanda ex eodem, sibiq; semper per omnia simili regiminis modo, quandoquidem, alia erat gubernatio Ecclesie Israëliticæ ante educationem ex Ægypto, quam postea fuit, & nihilominus una eademq; mansit Ecclesia. Proinde in quocunq; cœtu durat, manetq; 1. unitas DEI Patris vocantis. 2. unitas DEI filii gubernantis Eph. 1. v. 23. 3. unitas Spiritus sancti regenerantis. 1. Cor. 12. v. 13. 4. unitas verbi & Sacramentorum. 1. Cor. 10. v. 17. Ephet. 4. v. 5. 5. unitas spei & charitatis Phil. 2. v. 2. 6. unitas fidei & doctrine, Act. 2. v. 42. & 46. tum ille ad unam istam, ab initio mundi colligi cœptam, & per tot secula continuatam Ecclesiam pertinet, etiamsi pro ratione circumstantiarum quedam in modo regiminis, præsertim, quoad ministros & pastores, appareat discrepantia.

*Questio*



*Quaestio Quinta.*

An Christus voluerit Ecclesiam ab  
uno Episcopo, adeoque Monarchicè guber-  
nari?

## C L I V.

*Graviter dictum est ab Hilario l. 5. de Trinitate: A Deo discen-  
dum est, quid de Deo, Dei que voluntate intelligendum sit: quia De-  
us non nisi Deo authore cognoscitur. Quoniam igitur impossibile  
erat, sine Deo discere Deum, per verbum suum docet homines scire  
Deum. Hujus regule & nunc memores, missis omnibus humanis ratiun-  
culis, & hinc inde petitis consequentiunculis, Christi voluntatem, de ad-  
ministranda Ecclesia, non aliunde, nisi à Christo ipso, & ex ejus Evange-  
lio addiscendam putamus.*

## C L V.

*Quòd si autem universa historia Evangelica diligenter pervolva-  
tur, & singuli etiam apices studiosissime examinentur, nihil tamen pro  
regimine Monarchico aut primatu Romano manifestè faciens invenie-  
tur; verum potius contrarium legimus, ita quidem, ut aliquoties discipu-  
los suos, talem Monarchiam affectantes reprehenderit, nihilq; magis,  
quàm primatum & dominium prohibuerit, unde non modò in Evange-  
licis, sed & in ceteris Apostolicis libris omnibus, articulos fidei quosvis a-  
liàs sufficienter exponentibus, nullius prater Christum capitis aut Mo-  
narchæ visibilis, vel minutissimo verbulo facta est mentio.*

## C L V I.

*Hoc ipsum ut demonstretur apertissime, & negantibus Papico-  
lis ora undiquaque obturentur, talem propono syllogismum: Quicumq;  
I. Apostolis & Pastoribus Ecclesiæ, primatum & domina-  
tum omnem prohibet. II. Idem officium, eandemque po-  
testatem omnib. ex æquo confert. III. Solus Ecclesiæ caput  
& fundamentum est. IV. Omnisq; generis ministros dando,  
nullum dedit Episcopum Oecumenicum, sed V. Apostoli-  
cum munus voluit esse omnium summum & maximum,  
in Ecclesiâ: iste profectò regimen Monarchicum non insti-  
tuit,*

tuit,

DISCURSUS THEOLOGICUS  
tuit, nec Ecclesiam Catholicam ab uno Episcopo μοναρχικῶς gubernari voluit.

CLVII.

Atqui I. Christus Apostolis, & pastoribus Ecclesiae primatum & dominatum omnem prohibuit: id quod evinco ex memorabili isto aphorismo, Luc. 22. v. 25. 26. Reges gentium dominantur, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: ὑμεῖς δὲ ἄλλ' ἑταῖροι, Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat minor, & qui praecessor est, sicut ministrator.

CLVIII.

Quod dictum cum ad evertendum primatum Romanum sit efficacissimum, multis exceptiunculis factum est obnoxium: quae ut retundantur fortiter, verumq; sensus appareat evidenter, tria sunt breviter exponenda, nempe 1. Apostolorum quaestio, 2. ad quaestionem, Christi responsio, & 3. responsionis confirmatio: quibus bene observatis, ad omnes φλυαρίας Papisticas, pro dicti hujus elusione excogitatas, respondere erit facillimum.

CLIX.

Quaestio & contentio Apostolorum non erat de modo superioritatis aut primatus, sed de ipso primatu, quisnam sit aut esse debeat inter ipsos major, & ceterorum Princeps? Ita enim habent verba v. 24. Facta est autem & contentio inter eos, τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι μέγιστος, quis eorum videretur maior, vel, uti colligitur ex responsione Christi, Matth. 20. vers. 27. & Marc. 10. vers. 44. quis ex ipsis sit futurus πρῶτος & primus aut princeps?

CLX.

Non igitur primario contentio fuit de civili quodam primatu, quia non saltem de futuro sed etiam de presenti concertarunt, quis jam, & eo ipso tempore sit major, & reliquorum Apostolorum Princeps? ubi certe politicum dominium intelligere nequeunt, quando quidem ipsi bene narrant, tale jam nulli convenire, aut etiam convenire posse, cum & subditis, & facultatibus destituerentur singuli. Quam enim stulta, quam insana fuisset concertatio haec, quis ipsorum esset dux potentior, quis princeps ditior, quis maiorem habeat jurisdictionem, quis plures subditos, opes aut divitias, cum horum omnium nihil quicquam possederint? Certè comparativus semper praesupponit positivum; neq; potest disputari de majoritate principatum, nisi prius hos esse ponatur.

161. Qua-

## CLXI.

Quapropter negari nequit, Apostolicam istam dimicationem non esse πρῶτως factam de civili, politicaq; dominatione, aut eius maiori-  
tate, sed potius de Ecclesiasticâ, quis nempe inter Apostolos, & quoad munus  
istud Ecclesiasticum, vel jam sit, vel in posterum futurus sit primus, prin-  
ceps & ceterorum Dominus, quis illos regere debeat, quis Servatori Chri-  
sto in regimine proximus sit, aut primarius ipsius officialis, cuius mandatis  
pariter standum, & à quo Christiani, ceteriq; fideles omnes pendere neces-  
sum habeant?

## CLXII.

Quod ipsum quoq; confitetur & concedit liberaliter Jesuita Coste-  
rus, c. 3. Enchirid. p. 124. 125. ita scribens: In Evangelio quæ fuerit mens  
Christi in constituendâ Ecclesiasticâ politiâ, vel ex ipsâ Apostolorum  
ambitione intelligitur. Quoties enim Salvator discessus sui ex hoc  
mundo mentionem fecisset, statim vel taciti secum cogitabant, vel  
inter se disceptabant, quis ipsorum esset maior, vel etiam querebant,  
quis maior est in regno cælorum? In Ecclesiâ nempe, quam nomine  
regni cælorum toties à Christo vocari audierant, adeoque primatus  
iste animis rudium, cogitationibusque adhuc infidebat, ut novissimâ  
cœnâ, cum auditâ mentione proditoris & mortis instantis, mœrore af-  
fici debuissent, facta sit tamen contentio inter eos, quis eorum vide-  
retur esse maior. Intelligebant enim necessarium esse Pastorem, qui  
Christo discedente, universo gregi præesset.

## CLXIII.

Quib. ex verbis Costeri istud colligo, Apostolos non de politicâ preroga-  
tivâ aut dignitate, sed de Ecclesiastico primatu, de illo universali regimine,  
de œcumenico Pastoratu & Pontificatu concertasse, istumq; à singulis fuisse  
affectatum & seriò expetitum. Satis ergò jam manifestum est thema di-  
micationis Apostolicæ: nunc quid Christus respondeat, diligenter attenda-  
mus.

## CLXIV.

1. Si mens Christi ea fuisset, quam fingunt Pontificii, utiq; (si modò ad  
questionem respondere voluisset) Apostolum Petrum nominasset, istumq;  
Pontificatum ipsi claris verbis, audientibus singulis, adsignasset præsertim  
cum discipuli Luc. 9. v. 46. Marc. 9. v. 34. Matth. 18. v. 1. hoc ipsum ex Chri-  
sto scire apertè postulent, dicentes; Domine, quis maior est in regno cæ-  
lorum? hoc est, exponente Costero, quis in Ecclesiastico regimine primus  
erit & Monarcha summus? Verùm Christus omninò nullum nominavit,

G

nullum

## DISCURSUS THEOLOGICUS

nullum nominare voluit, etiam toties rogatus toties interrogatus. Quod certe silentium, & Apostolis, & toti Ecclesiae valde foret perniciosum & scandalosum, si nihilominus unum quendam, Apostolis ceteris maiorem existimasset, aut illi primatum tacite decrevisset.

### CLXV.

Venerat ille ad erudiendos parvulos, ad annunciandam veram fidem, & recte informandam Ecclesiam, ita, ut ultrò etiam, non quesitus, omne quod ad fidem bonosq; mores pertineret, revelare debuerit. Hic autem Apostoli ipsi quaerunt sollicitè, questionem multis in locis repetunt. Super eâ sapissimè decertant; & quidem de tali quaerunt articulo, qui momenti maximi est. & ad rectam totius Christiani cœtus gubernationem, scitu summè necessarius: Christus tamen id, quod isti intendunt, semper removet, de Principe aut Monarchâ quodam nihil scire, nihil respondere vult, sed omnes à magisterio ad ministerium, à majoritate ad minoritatem, à primatu ad subjectionem avocat & hortatur.

### CLXVI.

Quòd si verò privatim de certo Monarcha eligendo cogitasset, cur, queso, coram Apostolis hoc semper dissimulasset? cur notitiâ tam salutaris articuli eos defraudasset? Num Prophetico suo & predicatorio munere satis candidè perfunctus esset? Quare Apostolis quaerentibus, Quis nostrum princeps & maior est, Petrum directo & intento digito non demonstrasset, & ita proluxa ipsorum concertationi finem imposuisset?

### CLXVII.

Ad humilitatem nihilominus hortari potuisset Petrum quin & reliquos Apostolos ad subjectionem excitare debuisset. Videbat n. singulos Pontificatum affectare: Igitur, si docere eos voluisset candidè, & quesito satisfacere, Petrum designasset, & hunc ad humilitatem, & ceteros ad obedientiam hortatus, atq; ab ulteriori dominatus affectatione dehortatus fuisset. Sed horum prorsus nihil fecit, unde ipsum primatum omnem, omnibus & singulis Apostolis, taciturnitate istâ denegare voluisse concludo. Si enim, unquam, hic certe valebit antiqua ista Patrum regula: Quod Scriptura tacet, tacendo negat. CLXVIII.

2. Non autem Christus primatum reticendo duntaxat, & nihil quicquam illius exprimendo, negavit, sed claris quoq; conceptisq; verbis eum, porrò prohibuit, dicens: Reges gentium dominantur, καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν, & vocantur δεσπότες: ἔχ' ἕτως δὲ ἔστω ἐν ὑμῖν, ut loquuntur Matthæus & Marcus, vel, ὑμεῖς δὲ ἔχ' ἕτως, uti refert Evangelista Lucas.

## CLXIX.

*Per Reges gentium intelligit omnem Magistratum politicum, qui se nominatur, vel, quia tum potissimum gentibus imperabat, & in posterum imperaturus erat, vel, quia vocabulum τῶν ἐθνῶν & gentium, non saltem significat infideles Ethnicos, sed omnem numerosam multitudinem, sive ex paganis, sive ex Christianis collectam, sicuti multis Scripturae locis demonstrari potest.*

## CLXX.

*De his verò gentium Regibus dicit, quòd dominantur & principatum habeant, ubi ipsum dominium, non domini abusum intelligit, quoniam 1. loquitur indefinitè de omnibus Regibus, quos singulos suo dominio abuti, vel meram tyrannidem exercere, falsissimum est. 2. non addit limitationem, Reges dominantur cum superbia & avaritia, sed simpliciter dicit, Reges gentium dominantur, ut se non de certo modo vel abusu, sed de ipso primatu loqui, intelligant Apostoli. 3. quia dicit, quòd potestatem habeant super ipsos, οἱ μεγάλοι αὐτῶν κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν, Luc. 10. v. 42. hoc est, potiuntur legitimâ potestate, & jure suis subditis presunt. 4. quia de talibus loquitur, qui vocantur Ἐγγύτι & benefici, id quod nulli tyranno, vel Regi, suo dominio abutenti, rectè convenit.*

## CLXXI.

*Postquam autem Christus indicasset, quòd dominari Regum sit proprium, statim subjungit, Vos autem non sic, ut ita sensus verborum Christi non sit alius, quàm hic: O mei discipuli quid tam contentiosè disputatis de primatu & Pontificatu? cur altercamini de majoritate & superioritate? quare rixis his inutilibus distrahimini? οἶδατε, scitis ipsi, quòd Regibus & principibus politicis hoc unicè conveniat; hi soli sunt, qui potestatem habent, quam si debito modo exercent, etiam vocantur Ἐγγύτι & benefici. Vos autem non estis Reges gentium, nullos habetis subditos, super neminem potestas vobis data, unde facile poteris colligere ipsi, non fore ex vobis unum quempiam reliquorum omnium dominum aut Monarcham, nulliq; principatum aut superioritatem à me iri concessum. Tamen, ne ultra dubitetis de hoc themate, licet antè satis à me deciso; Ecce jam, appropinquante mortis & discessus mei hora ultimâ, clarè mentem meam aperio, & disertis verbis edico, Non est ita in vobis, non erit ita, ideo què omnem omninò primatum & principatum à vobis, tanquam personis Ecclesiasticis removeo, remanque semper volo, jubeo, & præcipio.*

DISCURSUS THEOLOGICUS  
CLXXII.

Hanc esse veram Christi mentem licet ipsa litera textus satis evincat, tamen exceptiunculam quandam se invenisse putant Papicola in verbis, Vos non sic, & inferunt, non omnem primatum, sed tantum modò politicum, & talem, quali Reges potiuntur, à Christo prohiberi; esse quidem unum dominaturum in Ecclesiâ, sed non sic, ut dominantur Reges, verùm alio modo: quæ subtilitas Bellarmini est l. 1. c. 9. col. 636. & Gretseri col. 46. Item Grego: i. de Valentia tom 3. comment. in Thomam, disp. 1. quæst. 1. punc. 7. §. 29. col. 244. 245. & Costeri cap. 3. Enchirid. in solut. object. 13. p. 164.

CLXXIII.

Verùm, quis non intelligit puerilem hanc esse instantiam, & nil nisi cavillum putidum? Etenim Christum omnem omnino, nec saltè vel politicum, vel tyrannicum primatum remove, probatur invictè. 1. quia discipuli non querebant aut litigabant de tali vel tali, sed simpliciter & nudè de ipso tantum regimine. Ergò, nisi responsum Christi impertinens & alienum dixeris, necessum est, ut verba, Vos non sic, de ipso primatu in se, non de primatus modo aut abusu intelligantur. Non enim sciscitabantur discipuli, Domine, num etiam modo politico & tyrannico aliquis ex nobis maior est? sed simpliciter, Quis ex nobis maior est? & respondet Christus; In politis quidem, unus reliquis imperat & maior est, sed inter vos non erit ita. Quòd si autem Christi responsionem, ad prohibitam saltè tyrannidem vel Monarchiam politicam restringas, aliena certè fuit, quandoquidem ipsi sciebant Apostoli, tyrannidem omnibus esse interdictam, politicumq; Exarchatum sibi non convenire. Quoniam ergò lis eorum de ipso primatu Ecclesiastico mota erat, & verò Christus litem hanc decisurus, ait, Reges dominantur, vos non sic, utiq; primatum & dominatum omnem hic excludi, firmiter inferri potest.

CLXXIV.

2. Quia Christus politici domini mentionem faciens, absolutè, non modificatè loquitur de ipso imperio, non imperii vitio, statimq; addit, Vos non sic: quæ verba removent id, quod prius assertum est, omnem dominatum, ut ita πρὸ τῶν ἄλλων & ἀπὸ δούλων sibi mutuò respondeant. Non enim dicit, Reges gentium dominantur plerunq; tyrannicè, suntq; avari & superbi; vos autè dominamini, ast non hoc modo: sed simpliciter ait, Reges gentium dominantur, vos autem non sic, vel non ita est in vobis, ubi vox similitudinis totum prædicatum, non prædicati saltè limitatio est, ut sit sensus, Reges dominantur, vos non sic, id est, vos non dominari debetis.

175. 3. Quia

## CLXXV.

3. Quia Christus distinguit inter Reges dominantes, & Apostolos non ita se habentes, vel non dominantes, præcipuamq; regiminis politici & Ecclesiastici differentiam in eo ponit, quòd ibi Reges dominantur hìc autem non sit ita. Jam si Christi responsum saltè ad interdictam tyrannidem & avaritiam applices, discrimen istud concidet, quia nec etiam Reges politici tyrannicè agere & imperare debent. ●

## CLXXVI.

4. Quia de talibus verba fiunt Regibus, qui sunt, & jure appellantur ἐβεργῆται. Ast hi non malè, non cum dominandi libidine, aut tyrannicè gubernant. Ergò verba, Vos non sic, non tollunt saltè regiminis modum. Nisi putes, Christi mentem hanc fuisse, Apostolos quidem imperare debere, sed non sic, ut vocentur ἐβεργῆται & benefici.

## CLXXVII.

5. Quia Christus dicendo, Vos non sic, omnes alloquitur Apostolos: quòd si igitur hic foret sensus, vos dominabimini, sed non more politico, & tyrannico, sequitur omnes duodecim Apostolos fuisse Pontifices & Monarchas Ecclesie, quia juxta Esauitas, regnum hìc concessit, saltè regiminis modum negavit. Quicquid enim Christus verbis, vos non sic, negat, id omnibus Apostolis, quos alloquitur, denegat: & quicquid concedit, id vicissim omnib. concedit. At qui Papicole dicunt, Christum saltè politicum & tyrannicum regiminis modum negare, Christianum verò & Ecclesiasticum Pontificatum tacitè concedere vel præsupponere, unde ego omnes Apostolos hìc à Christo Ecclesie Monarchas constitutos esse colligo, si modò interpretatio Romanensis obtinere debeat.

## CLXXVIII.

6. Quia Christus pro responsionis sue confirmatione addit memorabilem hunc aphorismum: Qui voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, sit vester servus. Unde sic argumentor: Quos Christus vult esse ministros & servos, eos non vult esse dominos & Monarchas. Omnes autem suos Apostolos vult esse ministros & servos. Ergò non vult esse dominos & Monarchas. Ad majorem non poterunt excipere, dominatum & servitutem simul consistere posse, quia illud per se falsum, & sequeretur vicissim, omnes Apostolos, Ecclesie Monarchas hìc esse designatos.

## CLXXIX.

Nam si per πρῶτον & ἡγούμενον in verbis Christi, qui vult major esse,

## DISCURSUS THEOLOGICUS

esse, sit vester servus intelligatur *Monarcha Ecclesiae*, statim assumo, *Omnes Apostoli debent esse servi, sibiq; mutuò ministrare, quod Christus & hic, & Joh. 13. v. 14. suo exemplo confirmat. Ergò & omnes debent esse primi vel Monarcha coetus Christiani. Sunt enim Pontificiis convertibilia, esse primum, & esse omnium servum. Quicumq; igitur omnibus debuit ministrare, est ἡγούμενος vel Pontifex universalis. Atqui omnes Apostoli omnibus debuerunt ministrare, jubente Christo. Ergò & omnes Apostoli hic sunt constituti Pontifices.*

### CLXX.

*Præterea ex eodem principio, contra Pontificatum sic colligo: Quicumque in regno Christi vult esse primus, sit minister & servus. Papa Romanus non est minister & servus. Ergò non est, nec esse potest primus. De minore verò quis sanus dubitarei? Equidem servum servorum se vocat, sed dominum dominorum esse declarat. Omnia enim sibi subiecta habere, omnibus imperare, omnes judicare, à nullo judicari velle, hoc sine servire & ministrare est? Solet quidem de magnatibus nonnunquam dici, quòd serviant & ministrent, sed ibi servire significat prodesse, & subditorum curam habere: Nunquam verò δέλοιοι aut servi propriè dicuntur suorum subiectorum, sed semper Domini. Christus autem de vero, & non impropriè dicto servitio loquitur, respectu non Dei, sed ipsorum Apostolorum, vel Ecclesiae. Qui voluerit, inquit, inter vos primus esse, sit vester servus, h. e. non dominetur vobis, non imperet, sed unicè ministret, & vobis, totiq; Ecclesiae subiectus sit.*

### CLXXI.

*Hoc manifestius Marc. 9. v. 35. his verbis expressit: εἰς τίς ἡγεῖται πάντων ἐξ αὐτῶν, καὶ πάντων Ἀγγέλων. Vbi quid per Ἀγγέλων intelligatur, vocabulum ἐξ αὐτῶν satis declarat, illum nimirum esse summum, qui sit infimus, illum primum, qui novissimus, nullamq; vel etiam minutissimam imperij & primatus partem affectet.*

### CLXXII.

*Atq; hinc magna oritur differentia inter ministerium Christi & ministerium Apostolorum, aliorumq; pastorum. Christus enim ministrabat hominibus, h. e. propter Ecclesiae utilitatem multa expediebat, non tamen illi ipsi subiectus, sed semper præfectus erat, quâ de causâ non δέλοιοι, sed κυεῖς Ecclesiae & caput indigitatur. Cæteri autem pastores omnes ministrant, sed cum subiectione, sine ulla dominatione, unde & hi soli, & semper, & propriè dicuntur δέλοιοι vel Ἀγγέλοι.*

*Manes*



## CLXXIII.

*Manet igitur firmissimum hoc σοιχέϊον: Quicumque verè imperat & dominatur, ille propriè non est servus eorum, quibus imperat. Atqui omnes pastores propriissimè sunt & dicuntur servi, non saltè Dei, sed etiam Ecclesiæ. Ergò nulli pastores verè imperant & dominantur Ecclesiæ. Lupus igitur non pastor, tyrannus, non minister est Pontifex Romanus, quia primatum & dominium super Ecclesiam absolutum & summum, imò & super omnem creaturam affectat & usurpare tentat. Hoc scilicet est, implere illud Christi: Qui voluerit inter vos primus esse, sit omnium novissimus, & omnium minister.*

## CLXXIV.

7. Quia Matth. 18. v. 1. Marc. 9. v. 35. Luc. 9. v. 46. cùm hac ipsa de Pontificatu questi proponeretur, Christus non saltè regimen politicum aut tyrannicum, sed absolutè omnem Monarchiam removet, 1. evidenti dicto, Luc. 9. v. 48. ὁ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῶν ὑπάρχων, τὸ ἐστὶν μέγας. Quæso autem te, num eum, qui œcumenicum habet primatum, & omnem creaturam sibi subesse vult, num, inquam, eum μικρότερον ἐν πᾶσιν, inter omnes minimum, item πάντων δέλον & ἕχατον verè nominare poteris? Ego certè sic firmiter colligo: Quicquid contrariatur titulo μικρότερος ἐν πᾶσιν, illud Christus prohibuit. Ast primatus & Pontificatus œcumenicus, candidè & secundum veritatem loquendo, contrariatur titulo μικρότερος ἐν πᾶσιν. Ergò Christus primatum & Pontificatum œcumenicum, candidè & secundum veritatem loquendo, prohibuit.

## CLXXV.

2. Memorabili factò, dum in medio Apostolorum statuit puerulum, & sonora voce pronunciat Matth. 18. v. 4. Quicumque humiliaverit se, sicut puerulus iste, hic est major in regno cœlorum. Ex quo ita disputo: Nullus puerulus potest esse Rex & Monarcha Ecclesiæ. Omnis autem Episcopus, qui vult primus & major videri in regno cœlorum, debet esse puerulus, vel puerulo assimilari, dicente Christo. Ergò nullus Episcopus potest esse Rex & Monarcha Ecclesiæ.

## CLXXVI.

Hoc ipsum quoq; agnovit Bernhardus l. 2. de considerat. scribens: Apostolis interdicitur dominatus. I. ergò tu, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatam, aut Apostolicum dominatum. Forma Apostolica hæc est: Interdicitur dominatio, indicitur ministratio. Ad quod dictum Bellar. l. 5. c. 10. excipit, Bernhardum loqui de Pontifice, ut Pontifex est totius Ecclesiæ, & secundum id, quod habet ex Christi institutione: unde

unde

## DISCURSUS THEOLOGICUS

unde ego colligo, primatum Papæ esse Christi institutioni contrarium. Si enim Christus voluit suos ministrare, utiq; noluit dominari. Ergo, cum Papa, vi institutionis Christi, ministrare debeat, & tamen dominetur in Ecclesiâ, utiq; hic ipse dominatus, ordinationi divina adversabitur.

### CLXXXVII.

Ex his igitur omnibus sole meridiano evadit clarius, externam & regiminis majoritatem, Apostolis à Christo simpliciter denegatam, eosq; potius ad internam & cordis humilitatem fuisse revocatos, eò, quòd vera Ecclesiastica superioritas, dignitasq; non in magisterio, sed ministerio, non in dominy elatione, sed cordis submissione unice sita sit & recumbat, ita quidem, ut eò quis sit major, quò minor est, & humilior; non autem, quò magis imperat, & super alios dominari presumat.

### CLXXXVIII.

Proinde Pontificij, verba Christi restringentes ad solius tyrannidis vel regiminis politici prohibitionem, 1. turpissimè petunt principium. 2. manifestè textum pervertunt; quin & 3. bonam primatus Papæ partem, quam in jurisdictione politicâ & temporali positam habet, evertunt. Si enim à Christo interdicta est quævis politici regni administratio, civilisq; jurisdictionis usurpatio, cur, quæso, eam Pontifici concedunt? An fortassis Christi mandatum, pariter illum non obligabit? Deponat igitur Papa gladium temporalem, reddat imperio Italiam, & desinat augustissimis Imperatoribus dominari, nisi Christo contrarius videri, & ἀντιχριστος porrò appellari velit.

### CLXXXIX.

II. Christus idem officium, eandemque potestatem omnibus ex æquo Apostolis contulit. Nam una eademq; omnium erat vocatio & electio ad Apostolatam, unà & pariter missi sunt, ad prædicandum, Matth. 10. v. 1. 28. v. 19. 20. Marc. 16. v. 15. 16. Luc. 9. v. 1. Joh. 20. v. 21. 2. Corinth. 5. v. 20. unà & pariter claves ligandi & solvendi acceperunt: Matth. 18. v. 18. Joh. 20. v. 23. eadem vocationis privilegia isdem data sunt, Matth. 10. v. 8. Marc. 16. v. 17. 18. omnibus cura & pastura fidelium pariter erat demandata, 2. Corinth. 11. v. 28. ideoq; omnes pariter dicuntur fundamentum Ecclesie, Ephes. 2. v. 20. & Apoc. 21. v. 14. nunquam verò præceptum legimus, ut omnes ab Apostolo Petro dependèrent, ejusq; tanquam universalis Monarchæ jussis & mandatis starent.

Hinc

## C X C.

*Hinc Cyprianus de simplic. Cleric. Hoc, inquit, erant utique & cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis. Ambrosius affirmat, unâ omnes Apostolos ad propagandum auxilium salutis humanæ per terrarum orbem, destinatos fuisse, ut fidei satores essent. Anacletus c. in novo, distinct. 21. inquit: Cæteri Apostoli cum eodem, nimirum Petro, pari consortio honorem & potestatem acceperunt. Quod ipsum licet negetur à Stapletono l. 6. de princip. doctr. fid. c. 1. aliisq; pluribus; à Bellarmino tamen conceditur, l. 1. de P. R. c. 9. col. 636. D. ubi, Summa, inquit, potestas Ecclesiastica non solum data est Petro, sed etiam Apostolis aliis. Omnes enim poterant dicere illud Pauli, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum, 2. Cor. II. L. 2. c. 12. col. 755. tria Apostolatus requisita ponit, 1. immediatum verbi ministerium. 2. Ecclesiarum constitutionem, & 3. summam in omnem Ecclesiam potestatem.*

## C X C I.

*Ex qua concessione & confessione Bellarminiana sic colligo: Quicumque summam habent potestatem in universam Ecclesiam, illi non subjecti sunt uni alicui, tanquam œcumenico Papæ aut Episcopo. Hoc enim si foret, summa potestate non potirentur. Longè siquidem major est, qui præest, quam is, qui subest. Atqui omnes & singuli Apostoli summam habuerunt potestatem in universam Ecclesiam, fatente Bellarmino. Ergò non fuerunt subjecti Petro, tanquam œcumenico Papæ.*

## C X C I I.

*Uterius, Ubi potestatis est æqualitas, ibi omnis præsentia & subjectionis ratio expirat, nullusque primatus vel saltem cogitari potest. Non enim summus summo, sed summus inferiori præsidet, inq; omni Monarchia necessarium istud est, ut unus duntaxat supremam jurisdictionem habeat; reliquis omnibus parère & subesse incumbit. Inter Apostolos autem officii & potestatis maxima erat æqualitas. Ergò inter eos omnis ratio præsentia & subjectionis expiravit.*

## C X C I I I.

*Hinc porrò sic argumentor: Regimen istud, quod omnem primatus rationem respuit, Monarchicum esse nequit. Etenim Monarchia sine primatu, annon foret insomnium sine somno? Atqui regimen Ecclesiæ Apostolicæ omnem primatus rationem respuit, ob dictam Apostolorum*

H

equali-

## DISCURSUS THEOLOGICUS

*æqualitatem, paremque, per omnia potestatem. Ergò Monarchicum fuisse nequit. Sic igitur primordia Ecclesie N. T. fuerunt Pontificatui contraria, & Christus, Apostolis suis parem dignitatem concedens, Monarchicam Ecclesie gubernationem, in V. T. quodammodo usitatam sustulit, novamque regiminis formam instituit & commendavit.*

### C X C I V.

*Incineres ergò, inque, favillas abeunt omnia ista tela Jesuitica: Optimum regimen optimo regiminis modo administrandum. Qualis Judaica, talis & Christianæ Ecclesie ratio. Si Christus fuit Ecclesie Monarcha, & nunc talis est eligendus. Nisi sit unus summus Pontifex, controversiæ dijudicari nequeunt, &c. Sciant enim sibi semper paratam fore <sup>EVANGELIUM</sup> ab exemplo Apostolorum, pari curâ & sollicitudine, sine potestatis discrimine, absque omni superioritate & primatu, juxta ordinationem Christi, universam Ecclesiam gubernantium. An enim hæc optimo regiminis modo tum temporis destituebatur? Num vel fidei sinceritas, vel fidelium unitas tollebatur? Nullo modo: sed vigeat virebatque, Ecclesia, curvebat sermo Domini, & dexteritate summa Christianorum coetus tum colligebatur, tum collectus regebatur.*

### C X C V.

*Mera proinde figmenta sunt & rationis somnia, quæ Papicole de primatu Petri, de universali Pontificatu, de Ecclesie Exarchatu, magnifice & thraſonice jaclitât. Non fuit Apostolus Petrus, esse non voluit, non debuit reliquorum Monarcha: æqualem habuerunt potestatem singuli, eandem officij dignitatem, eundem Apostolatam, & idem munus Ecclesiasticum. In hac igitur summa honoris & jurisdictionis æqualitate primatum quis sanæ mentis vel duntaxat imaginari posset?*

### C X C V I.

*Sed audi acumen Gretſeri Jesuitæ, in quo homine loquacitatis multum, eruditionis parum. Hic l. 1. de P. R. c. 8. col. 539. Apostolos omnes pares, hac tamen cum paritate quandam <sup>ait</sup> imparitatem junctam fuisse, quatenus unus reliquorum omnium caput constitutus est, ut schismatis tolleretur occasio. c. 14. col. 575. scribit, Apostolos quidem habuisse potestatem summam, sed non eam summam, quæ potestas Petri summa fuit; quoniam hæc independens, illa cæterorum fuerit dependens.*

### C X C V I I.

*Mira profectò, & plusquam Metaphysica est hæc subtilitas Gretſeri, qua*

ri, quã summo adhuc superius aliquid invēnit, & inter summam summam, & summam inferiorem discrimen quoddam observavit. Opere pretium faceret hic summa summatis doctor, si in scholarium suorum gratiam, denuò excuderet Grammaticam, quarto comparationis gradu, & summa summatis exemplo locupletatam.

## CXC VIII.

Vt autem crassam suam ἀντιφασιν deprehendat, sic colligo? Qui summa est potestatis, nulli homini subiectus est: eius enim, cui subicere-  
tur, potestas foret superior. Apostoli omnes, dicente Bellarmino, & fatente Gretsero, summa fuerunt potestatis. Ergò Apostolo Petro non fuerunt subiecti. Vt uterius, Cui quis subiectus non est, ab eo non dependet. Apostoli Petro subiecti non fuerunt. Ergò nec ab eo dependerunt. Item: Potestas eadem non potest esse dependens & independens. Petri autem & Apostolorum reliquorum potestas fuit eadem. Ergò non potuit esse simul dependens & independens, nisi idem à seipso differre, ingenti cum absurditate asseratur.

## CXC IX.

Aut ergò Apostoli omnes, eandem summamq; potestatem non habuerunt, quod contra Bellarminum: aut falsissimum erit Gretseri fabulamentum de potestate Apostolica summa, & tamen dependente nec summè summa. Verùm de hoc ipso in sequenti questione plura.

## C C.

III. Christus solus Ecclesiæ pastor œcumenicus, caput & fundamentum est. *Ezech. 34. v. 22. 23.* Salvabo gregem meum, & non erit ultra in rapinam, & iudicabo inter pecus & pecus, & suscitabo super eas pastorem unum, servum meum David, (id est, Christum) Ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. *Ezech. 37. v. 24.* Et servus meus David Rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum. *Johan. 10. v. 17.* Fiet unum ovile, & unus pastor. *Ephes. 1. v. 22.* αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντων, τῆ ἐκκλησίας. *Coloss. 1. v. 18.* αὐτὸς ἐστὶν ἡ κεφαλὴ τῆ σώματος τῆς ἐκκλησίας; ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei, ut dicitur *Coloss. 2. v. 19.* Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, qui est Christus Jesus, *1. Corinth. 3. vers. 11.*

## C C I.

Ex hisce dictis tale argumentum necito: Si solus Christus caput & funda-

## DISCURSUS THEOLOGICUS

fundamentum Ecclesiae voluit esse, Monarchicum regimen, & universalem unius hominis Pontificatum non instituit, nisi sibi ipsi contrarius fuisse putetur. *Quomodo enim solus esset caput, si cum ipso alius Episcopus in terris praesideret Christiano cœtui? Nam & hic Ecclesiae caput & fundamentum appellaretur. Atqui solus voluit esse caput Ecclesiae. Nullum ergò aliud præterea elegit & instituit.*

### CCII.

*Verùm argumenti huius vim declinare tentant Pontificij vulgata ista distinctiunculâ, inter fundamentum θεορχικόν & ὑπαρχικόν, inter caput principale & ministeriale, invisibile & visibile, primum & vicarium, dicuntq̃, Christum quidem solum, caput principale & invisibile esse, nihil tamen hoc impedire, quò minus & Papa caput dicatur & fundamentum, nimirum visibile, ministeriale & vicarium, quandoquidem & Apostoli Ecclesiae fundamenta nominentur, Ephes. 2. v. 20. Urget hoc imprimis Gregorius de Valentia, tom. 3. Comment. in Thomam disput. 1. quest. 1. punct. 7. §. 27. col. 239.*

### CCIII.

*Sed ab hoc etiam praesidiolo facile eos deturbabimus, 1. manifestè petunt principium. Ex quo enim capite, quòve dicto Biblico fictam hanc distinctionem probabunt? 2. contradicunt Scripturæ, quippe quæ præter Christum omne fundamentum aliud excludit, sive secundarium, sive vicarium, sive visibile, aut alio quovis modo appelletur. Etenim SS. Scriptura multis in locis, non obiter, sed ex professo, similitudinem de corpore humano applicat ad corpus Ecclesiae, ut, Roman. 12. v. 5. 1. Corinth. 12. v. 27. Ephes. 4. v. 16. 17. & 5. v. 23. &c. Nec tamen ullibi, vel obliquè saltem subindicat, esse istius mystici corporis caput aliud præter Christum, id quod valde urget Dn. D. Hunnius p. m. tom. 1. loco de Ecclesiâ, part. 2. p. 1366. 3. distinctio ista sibi ipsi est contraria. Qui enim ministrat, non imperat. Papa igitur, si caput saltem ministeriale foret, primatum nullum haberet. Sic fundamentum est, quod aedificium sustinet: secundarium autem & ὑπαρχικόν istud, ut vocant, non sustinet, sed sustinetur. Ergò pars est, non fundamentum aedificij mystici. Omne enim fundamentum propriè dictum, per se consistit & αὐτοῦ εἶναι est. Nullus autem homo, nullus Episcopus, quantalibet etiam prudentia & sanctitate præditus sit, per se consistere potest, sed duntaxat beneficio sustentantis Christi. Ergò propriè fundamentum*

mentum

mentum esse nequit. Ἀντίφασις igitur est fundamentum dicere, & τὸ αὐ-  
τοῦθεν negare.

## CCIV.

4. Architectus, quā architectus, non est, nec esse potest fundamen-  
tum aedificii. Omnis autem Ecclesiae Episcopus, saltem illius architectus est.  
Ergo non fundamentum. Christus quidem utrumq; erat, tum architectus,  
propter predicationem, tum fundamentum, propter sustentationem: hoc  
verò posterius nemini mortalium convenit, ideoq; & fundamenti titulus  
Christo soli relinquendus est.

## CCV.

5. Scriptura inter Christum & Ecclesiam, caput vel fundamentum  
intermedium nullum agnoscit, sed statim à Christo ad membra descendit,  
quae cum illo ἀμέσως, sine interveniente interstitio conjunguntur, ut in-  
nuitur Ephes. 4. v. 16. Hinc Chrysostr. homil. 8. in 1. Corin. ait, μηδὲν εἶναι  
μέσον ἡμῶν καὶ Χριστοῦ, nullumq; intercedere Διέστημα, ἔδὲ τὸ μικρότα-  
τον. Quòd si autem praeter Christum visibile caput foret, utiq; jam Eccle-  
sia cum Christo non ἀμέσως, sed ἐμμέσως, per istum nempe aspectabilem  
Papam cohereret.

## CCVI.

6. Capitis spiritualis, recensente Bonaventurâ l. 3. Sentent. di-  
stinct. 13. artic. 2. question. 1. in resolut. tres sunt proprietates primariae, à ca-  
pite corporali desumptae, 1. esse membris conforme. 2. esse membro-  
rum principium, & 3. esse influxivum sensus & motus: quarum pri-  
ma licet homini cum Christo communis esse queat, posteriores tamen duae  
ipsi soli propriae sunt, ideoq; praeter Christum caput aliud nullum fingi debet.  
Quicquid enim membrorum principium non est, motumq; & sensum spi-  
ritualem hoc est, fidem non impertit & ingenerat, istud non nisi equivocè  
& abusivè caput dicitur. Tale verò cum sit caput vicarium, ob id, tan-  
quam inutile & infrugiferum rescindendum est.

## CCVII.

7. Caput ministeriale sic dicitur, vel Christi, vel Ecclesiae re-  
spectu. Si Christi, non erit caput, sed membrum. Si Ecclesiae,  
illi subesse, non praesse debet. 8. Si praeter Christum, visibile & mi-  
nisteriale caput constituendum, Ecclesia erit alligata ad unum locum.  
Nam caput & Ecclesia coherent: quòd si ergo caput uni loco affixum est, &  
Ecclesiatale erit. atq; sic à Judaicâ, ratione Catholicismi amplius non di-  
stinguetur. Docet hoc ipsa praxis Romana, quā Episcopatus iste œcume-  
nicus, & veritatis spiritus, adeoq; sic ipsa Ecclesia Romae annexa fingitur,

## DISCURSUS THEOLOGICUS

ita quidem, ut Christianus non habeatur, nisi qui factioni Romanensi se associet. 9. Omne corpus biceps vel duo habens capita, qualitercunq; etiam hæc distinguantur & subordinata dicantur, monstrum est, & monstrum rectè nominatur. Atqui Ecclesia non est, non erit, non esse poterit monstrum, aut corpus monstruosum. E. Ecclesia non est, non erit, non esse poterit biceps. Neq; declinabunt Jesuitæ absurditatem hanc, quales etiam & quantascunq; distinctiones effinxerint, siquæ ubicunq; verè duo & realiter distincta ponuntur capita, & unum duntaxat corpus utriq; capiti subiectum putatur, ibi propter abundantiam partis monstrum esse, irrefragabiliter sequitur. Quoniam v. Christus extra controversiam Ecclesie suæ caput est, alterum istud, velut inutile, adulterinum, spurium, & corpus hoc mysticum deformans, ressecandum & penitus abjiciendum est.

### CCVIII.

10. Caput istud vicariū aut maioris, aut minoris est authoritatis, quàm Ecclesia. Non maioris, quia Christus ipse ad Ecclesiam, velut ultimum tribunal nos remittit Matth. 18. v. 17. Si non audierit eos, dic Ecclesie. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus. Ergò minoris est authoritatis. Ergò caput non est, nec primatum habere potest, cum membra capiti, non caput membris subjiçiat. 11. Si caput sit vicarium, Ecclesia ratione huius, quandoq; erit ἀκέφαλος, moriente nimirum Papâ, ubi sæpè magnum intercedit spatium, siquidem post mortem Sixti II. sedes Romana per duos annos fuit vacua, eoq; tempore presbyteri præfuerunt, quod etiam factum post obitum Fabiani: quandoq; erit πολυκέφαλος, quoniam sæpè multi Papæ simul extiterunt, & universalem Episcopatum sibi rapuerunt, ubi etiam satis non constitit, quis eorum verus fuerit & legitime electus. Potuerunt fortassis omnes esse illegitimi, atq; sic Ecclesie caput, vel omnino nullum, vel saltem incertum fuisset. 12. Capita ista ministerialia aut salvantur, aut damnantur. Si hoc, queritur, an in vitâ etiam eternâ ut capita sint mansura? Vix hoc credibile, cum ita Ecclesia plurimis subiecta foret capitibus. Sin membra fierent, mira certè hæc μεταμóρφωσις esset capitis in brachium, humeros aut pedes. Si v. damnabuntur, magna profectò erit distinctio capitis à membris, dum membra in æternum vivent, capita autem in æternum morientur.

### CCIX.

13. Caput & fundamentum Ecclesie taliter debet esse comparatum, ut nullâ vi præscindi aut concuti queat, siquidem rescisso capite, aut concusso fundamine, periret totum corpus & ædificium. Nullus autem homo tanta est perfectionis, quin labi & errare possit, quod & Petri, & aliorum.

Ponti.



Pontificum exempla evidentissimè ostendunt. Caput igitur & fundamentum Ecclesie quæ erit? Proinde vicarium caput & ministeriale fundamentum saltem æquivoçè dicitur, cùm essentialibus veri capitis & fundaminis proprietatibus omninò destituatur.

## CCX.

Quod autem attinet locum Eph. 2. v. 20. non vocantur ibi Apostoli fundamentum, sed ipse potius Christus, quem annunciârunt illi. Ita enim verba habent: Vos estis cives sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, ὄντ' ὁ ἀκρογωνιαίος αὐτῶν ἰησοῦς χριστός, ipso summo angulari lapide Iesu Christo. Hic igitur solus, & fundamentum & lapis iste angularis probatus ac pretiosus est, qui prædicitus Esa. 28. v. 16.

## CCXI.

Præterea, licet Apostoli dicerentur fundamenta, hoc tamen non de ipsis, ipsorumq; personâ sed doctrinâ unicè intelligeretur; non quòd ipsi ædificium Ecclesie vel sustentaverint, vel adhuc sustentent, sed quia sustentantem Christum universo orbi prædicârunt, & tum voce, tum calamo manifestârunt. Hinc autem primatui & Pontificatui Romano nihil accedet, quia non solus Petrus, sed omnes Apostoli, titulo fundamenti ornantur, quasi Monarchæ foret signum & indicium, duodecim Pontifices ac Monarchas uno eodemq; tempore Ecclesie præsedisse concludendum erit.

## CCXII.

Neq; verò ex loco isto Matth. 16. v. 18. in scholis & templis Papisticis decantatissimo, Petri primatus vel Episcopatus sufficienter & evidenter colligitur. Etenim fatente Bellarmino l. 1. c. 10. col. 642. verba ista sunt Metaphorica, quæ & non nihil obscura, eorumq; interpretatio est varia; nihilq; de eâ consentienter à Sanctis Patribus scriptum est, unde primatum Papæ, 1. metaphoricum. 2. obscurum. 3. incertum, & 4. patribus minimè consentientibus definitum esse concludo.

## CCXIII.

Quas verò Papicolæ ex hoc dicto consequentiunculas neclunt, de iis quidem fusè disputari posset: sed ne numerus thesæon nimis excrescat, idè hoc ipsi disputationis actui, vel alii commodiori tempore reservatum volo. Nostra breviter sententia hæc est, quòd non Petrus, sed Petri πῖς & ὁμολογησις, vel potius τὸ πῖς & ὁμολογῆμενον, illa sit & dicatur immota firmaque Ecclesie petra, adversus quam solam portæ inferorum prævalere nequeant.

214. IV. Chri-

## DISCURSUS THEOLOGICUS

C C X V.

I V. Christus omnis generis ministros dando, nullum dedit Episcopum Oecumenicum: id quod probo ex Eph. 4. v. 11. & 12. ubi tota Hierarchia Ecclesiastica, & omnes ordines recensentur, nullius autem vicarii capituli, aut Episcopi universalis sit mentio, cum tamen maxime fieri debuisset. Ita enim sonant verba: Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

C C X V I.

Vides hic accuratè recenseri omnes Ecclesie ministros, nullius autem visibilis capituli vel uno apiculo factam mentionem, unde istud non necessarium, non à Christo datum, sed ultrò in Ecclesiam irrepsisse colligo. Et sanè argumentum hoc negativum efficacissimum est, quia non putandum, reticuisse Apostolum Paulum, in enarratione hierarchie, id quod primarium erat, nempe oecumenicum Episcopum, si talem quempiam Ecclesie præfectum scivisset. Volebat enim recensere totum ministerium Novi Testamenti, & omnes eius gradus, & omnium graduum appellationes: qui igitur hoc intentum perfecisset, si summi capituli mentionem omisisset? Num istud vel ex incuriâ, vel invidia & odio in Apostolum Petrum, tanquam sibi prælatum factum esse putabimus? Absit hoc, nisi talium scelerum ipsum Spiritum Sanctum, ista dictitantem, in simulare velimus. Statuamus potius, nullum fuisse, nullum à Christo datum esse visibilem Papam, ideoq; & Paulum eius mentionem facere non potuisse.

C C X V I I.

Vt hoc ipsum adhuc manifestius demonstrarem, ex presenti textu Apostolico sic infero: Si solo ministerio Apostolorum, Prophetarum, Evangelistarum, pastorum & doctorum, sancti electique Dei eis ἐργον Ἀγνωσίας plenè consummari, totumque corpus Christi perfectè ædificari, quin & conservari semper potest, usque ad diem adventus Domini, & piorum glorificationem; tum præter istos capite vicario visibili nullatenus opus est. Quis enim eius foret usus in Ecclesia jam antè ædificatâ plenè, institutâ planè, constitutâ optimè, & gubernatâ dexterrime? Atqui prius illud verissimum est ex verbis Pauli, qui eum in finem à Christo datos dicit istos ministros, ut Ecclesia ædificetur, & conser-

vetur.

vetur usque ad occursum Domini. Firma igitur & invicta sequitur conclusio: Vicario & visibili capite nullatenus opus est.

## CCXVIII.

Proinde resorbeat Bellarminus verba ista, que in præfatione, libris de Pontifice præfixâ effutivit: De qua, inquit, re agitur cum de primatu Pontificis agitur? brevissimè dicam, de summa rei Christianæ. Id enim quæritur, debeatne Ecclesia diutius consistere, an verò dissolvi & concidere? Quàm igitur juxta hunc Seraphicum doctorem obliviosus fuisti, Beate Paule, quòd summam rei Christianæ silentio semper involvisti, imò quàm injurius in Ecclesiam, quòd eam solo Apostolorum & doctorum ministerio edificari & consistere dixisti?

## CCXIX.

Argumento hoc jugulum Papæ fortiter peti vident Jesuitæ, quapropter ut & istum hierarchie Ecclesiasticæ, à Paulo recensite, infarciant, scribere non verentur, Pontificatum summum disertè positum ab Apostolo in illis verbis, Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c. que Bellarmini exceptio est. l. 1. c. 9. col. 636. D. Verùm ex istis verbis Pontificem colligere, quid aliud est, nisi aquam è pumice postulare? Sic infero: Apostolatus & Pontificatus, aut idem sunt, ut diversa. Si idem, tum sequetur, tot fuisse Pontifices, quot Apostoli à Christo sunt electi. Ecclesia igitur prima à duodecim Papis simul & semel, adeoq; Aristocraticè, non Monarchicè fuit gubernata: quo concesso, primatus Petri, & fundamentum solis Papalis uno ictu corruet. Quòd si autem Apostolatus & Pontificatus diversa sunt ministeria, quemadmodum multi ex Papiculis statuunt, quò Apostolatum Pontificatu inferiorem dicunt, utiq; Paulus, nomine & voce Apostolorum, Pontificis summi disertè mentionem non fecit.

## CCXX.

Non enim confusè gradus ministerii proponere, sed de distinctis distinctè loqui volebat Apostolus Paulus. Igitur si Pontificatum summum, eumq; ab Apostolatu, tanquam ministerio inferiori distinctum agnovisset, ipsi dicendum fuisset, dedit unum Pontificem, & postmodum quosdam Apostolos. Aut ergò fateantur Jesuitæ, Apostolum & Pontificem esse synonyma atq; sic primatus cadet: aut esse diversa, & tum Bellarmini exceptio evanescet, nostrumq; argumentum invictum & irrefutabile stabit. Si enim Apostoli, quâ Apostoli, non sunt Pontifices, utiq; Paulus, saltem Apostolorum mentionem faciens, summum Pontificatum, in delineatione hierarchie, præsertim disertè, ut fabulatur Bellarminus, non expressit.

## DISCURSUS THEOLOGICUS

CCXXI.

Alii excipiunt, *Apostolum eo loco non delineasse hierarchiam Ecclesie, sed tantum enumerasse varia dona, que sunt in Ecclesia. Sed præterquam quòd litera textus repugnet, & dona Dei ac ministeria Ecclesie falso opponantur, quasi & hæc non essent dona cœlestia; istud duntaxat studiosè observetur, quòd factum, quòd Apostolus recitans præcipua bona & dona Dei, Pontificatus summi, quem pro primario beneficio habent Papicole, nullam fecerit mentionem? Ego hinc ita argumentor: Apostolus Paulus Eph. 4. exprimere voluit præcipua dona Ecclesie, à Deo collata. Non autem nominavit summum Pontificatum. Ergò hic non est donum præcipuum, à Deo in Ecclesiam collatum.*

CCXXII.

V. Christus Apostolicum munus voluit esse omnium summum & maximum in Ecclesia. *Inde sic concludo: Si Apostolatus summum est munus, Pontificatus illo non erit superior, ideoq; vel Apostolus Petrus primatum nullum habuit, vel reliqui etiam Apostoli primates fuerunt, quia in Apostolicâ dignitate omnes extiterunt pares. Atqui Apostolatus est summum & maximum in Ecclesia munus, quòd præcipue probatur ex 1. Cor. 12. v. 18. Et quòd iam quidem posuit Deus in Ecclesia πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, &c. Ex quo colligo: Si Apostoli πρῶτον & primum sunt dati, Apostolatus erit summum & maximum munus. Si enim aliud quoddam prius esset & superius, tum hoc primum non foret. Aliter ergò informare stylum debuisset Apostolus, & dicere, Deus in Ecclesia posuit, primum unum summum Pontificem, deinde Apostolos. Ast vicissim omnem Pontificis & Monarchæ mentionem omisit, primosq; in Ecclesia dixit esse Apostolos. Hi igitur pari honoris & dignitatis consortio cœtum Christianum gubernârunt, sine Petri primatu, & sine reliquorum subiectione, ideoq; omnis ista Papicolarum declamatio, de regimine Monarchico, nil nisi vanum, & contra institutionem Christi effectum fabulamentum est.*

CCXXIII.

Stat ergò, ob demonstrationes hæcenus recensitas, stat, inquam, & in æternum, contra omnes inferorum portas, stabit rata, firma, invicta & inconcussa hæc sententia, quòd Christus noluerit, uni cuidam primatum super Ecclesia concedere, sed omne potius prohibuerit dominium; quòd se solum & unicum caput esse, petram ac fundamentum Ecclesie indicaverit, ideoq; Apostolos omnes & singulos pari dignitate & potestate donave-

nave-

naverit, ita, ut isti sint maneatq; primi & præcipui in toto ministerio Ecclesiastico, quib. superior quispiam Pontifex nunquam fuit à Deo datus aut constitutus in Ecclesiâ: unde quid de Romanorum Pontificum Monarchiâ, adeoq; totâ Papali hierarchiâ sentiendū sit, cuivis pio & Christiano lectori ad oculū patere existimo.

### Questio Sexta.

Num Ecclesia Apostolica & primitiva ab œcumenico quodam Episcopo fuerit gubernata.

CCXXIV.

Multum tribuunt Jesuita antiquitati, ita quidem, ut eam pro notâ Ecclesiæ infallibili habeat Bellarm. l. 4. de Eccles. c. 4. Videamus igitur, quale fuerit primum & omnium antiquissimum Ecclesiæ regimen, præsertim tempore Apostolorum, quando quidem juxta Tertull. l. 4. contra Marcionem: Id verius, quod prius; id prius quod ab initio; id ab initio, quod ab Apostolis est.

CCXXV.

Factant equidem Pontificii, apud se solos priscam & Apostolicam Ecclesiæ rationem & gubernationem inveniri; se à Christo continuatâ & nunquam interruptâ serie, Pontifices & Episcopos suos enumerare posse: verum idem iis accidit, q. de Glauco quodam marino scripsit Plato, quod partes in corpore eius nobiliores partim fractæ, partim contritæ, & ab undis penitus dissipatæ fuerint, earumq; loco alia ipsi adhaferint conchylia, alga & lapides, ex quib. nativam & germanam ipsius formam agnoscere vix quisquam potuerit. Pari modo cum Ecclesia Papali comparatum est, quæ quidem Apostolica & primitiva similem se esse gloriatur, cum tamen prorsus aliam diversamq; & multis modis à priscâ illâ differentem formam habeat.

CCXXVI.

Quod ipsum ut clarè demonstratur, primum de Ecclesia Apostolica, post de successivâ agam, ostensurus solidè, Monarchicū primatū & dominatū, qualis & olim obtinuit, & etiamnum hodiè obtinet in Ecclesia Romana, tempore Apostolorū & primorū Patrū omnino ignotū, inusitatū, rejectū & damnatum fuisse.

CCXXVII.

Ut igitur ab Apostolicâ Ecclesiâ initiū faciã, statuunt Pontificii cōmuniter, Petrū omnium Apostolorū fuisse principē, & Ecclesiæ universalem Episcopū, Romæq; sedē fixisse, ita ut postmodū in primatu & Pontificatu œcumenico ipsi succederetur ab Episc. Rom. Et sub hac Petri larvâ

## DISCURSUS THEOLOGICUS

totum mundum infatuavit Papa, quemadmodum scripsit Luth. tomo 8. Germ. Jenen. l. de Papatu à Satana fundato, part. 1. fol. 219. b. Nolo autem hic prolixè disputare, an Petrus Romæ fuerit, vel quomodo eò venerit, & numper 25. annos integros ibi Papale solium occupaverit, &c. quoniam ista vel falsa, vel incerta sunt, & causam Jesuitarum nihil meliorem reddunt. De ipso duntaxat primatu Petri agam, quem omninò fictum, in Scripturis rejectum, praxiq; Apostolorum prorsus contrarium dico: quod antequam demonstrare aggrediar, accuratè distingui velim inter primatum ordinis, & primatum jurisdictionis vel potestatis: quam distinctionem innuit Marsilius Patavinus par. 2. c. 16.

### CCXXVIII.

Ordinis primatum voco, quando multi in officio & potestate pares sunt, unus tamen eorum primum tenet locum, & reliquos precedit, ut ita inter istos loci & sessionis ordo servetur. Hoc sensu Apostolum Petrum reliquorum fuisse Principem, & sancti Patres sepè testantur, & à nobis facile concedi potest. Jurisdictionis primatus est, quando unus non saltem primum tenet locum, sed & alios sibi habet subiectos: qui etiam ab ipso dependent, eius judiciis acquiescunt, & sine ipsius arbitrio, voluntate & nutu nihil suscipiunt, aut suscipere debent. Talem primatum super Apostolos ceteros Petrum nec habuisse, nec unquam exercuisse, sed omnes, tanquam pari consortio honoris & dignitatis preditos, unanimiter cœtum Christianum universum gubernasse, piè credimus, constanter docemus, & multis argumentis firmiter demonstrare possumus.

### CCXXIX.

Et quidem hoc ipsum docet ac evincit, I. Scripturæ silentium. Nullibi enim, neq; in prolixis Evangelistarum commentariis, neq; in Actis Apostolicis, neq; in Epistolis Paulinis, Petrinis, aut Johanneis, vel unico saltem verbulo universalis Pontificatus, & superioritas Petri innuitur, etiam tum, cum id fieri convenienter potuisset, imò necessario debuisset: quod quidem nunquam reor factum fuisse, si Ecclesiam Apostolicam Petrus Monarchicè & Papaliter gubernasset.

### CCXXX.

Orta sunt multe controversie: ad Petrum provocatum esse non legitur. Predicandum erat Evangelium gentilibus: Petrum Apostolos emisisse nullibi extat. Enumerantur gradus ministerii Ecclesiastici: primatus Petri nulla fit mentio. Admonentur Christiani ad obedientiam pastoribus præstandam: ad Pontificem unum, eumq; unicè audiendum.

nun-

nunquam ablegantur. Ecclesia Galatica erant seducta per hereticos: sed à Petro nec illa correpta, nec hi excommunicati leguntur. Toties ergò sacra Scriptura cum meminisse potuisset Pontificis atq; capitis Ecclesie visibilis, nunquam tamen id factum, sed altissimum omni eâdere est silentium: ex quo quid aliud concludi potest, quàm Pontificatum in Apostolicâ Ecclesiâ plane fuisse incognitum, inusitatum & rejectum.

## C C X X I.

II. Petri ad Samaritanos ablegatio, de quâ Act. 8. v. 14. Cùm audissent Apostoli, qui erant in Hierosolymis, quòd recepisset Samaria verbum DEI, miserunt ad eos Petrum & Johannem. Quibus ex verbis sic colligo: Summi Pontificis est mittere Episcopos ad Ecclesias, non contrà: aliàs enim Pontifex magnâ Pontificalis muneris parte privaretur, & Episcopi subiecti alienum officium malitiosè invaderent. Apostoli autem, auditâ Samaritanorum conversione, ex sollicitudine erga istas Ecclesias, miserunt Petrum, ad confirmandos fratres, & fusiùs prædicandum Evangelium. Ergò Petrus non fuit summus & universalis Pontifex.

## C C X X I I.

Excipit Bellarm. l. 1. c. 16. & Baronius tom. 1. Annal. Eccles. p. 288. edit. Antwerp. hoc primatui Petri nihil derogare, quia sæpè Princeps dicatur mitti à minore, non propter subjectionem, sed petitionem & suasionem. Verùm quòd major minorem, & quòd equalis equalem nonnunquam mittat, exemplis probari potest: quòd autem minor majorem, & quidem non suadendo, sed præcipiendo, & cum autoritate ad alios miserit, istud exemplo satis evidenti vix demonstrabitur.

## C C X X I I I.

Præterea, non ex simplici missione argumentamur, sed ex missione summi Pontificis, quæ facta ab inferioribus Episcopis, & facta ad prædicandum Evangelium. E enim cur Apostoli ceteri pro confirmatione Ecclesiarum Samaritanarum solliciti sunt, & non potius summus Pontifex Petrus? Cur hic adeò fuit immemor demandati Episcopatus œcumenici, ut auditâ conversione gentilium, non statim de mittendis Episcopis deliberaret? Quid enim aliud, si hoc non, à summo Pontifice requiritur, vel expectari potest? Prædicare Evangelium, & docere populum Pastoribus & Episcopis potissimùm convenit, juxta Papicolos; sed summi capitis est, Pastores ad prædicandum mittere.

## DISCURSUS THEOLOGICUS

C C X X I V.

*Vel igitur Petrus non fuit summus Pontifex, vel ipse negligentem Pontificatu perfundtus est, tum, quia Samaria curam non habuit, nec Episcopos eò misit, tum quia Apostolos ceteros, universalem Ecclesie inspectionem sibi sumentes, non coercuit, quin & ab ijs se mitti passus est. Equidem, si spontè eò profectus fuisset, tum universalis Episcopatus muneri satisfacisset; sed quoniam Apostoli Ecclesiarum istarum curam gesserunt, Petrumq; ad eas in fide confirmandas cum auctoritate ablegârunt, hoc ipso Pontificem eum non fuisse invidtè concluditur.*

C C X X X V.

III. Judæorum cum Petro exostulatio, *quæ Actor. 11. v. 1. & seqq. describitur his verbis: Audierunt autem & fratres qui erant in Judæâ, quoniam & gentes receperant verbum DEI. Cùm autem ascendisset Petrus Hierosolyman, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcissione, dicentes; Quare introiisti ad viros, præputium habentes, & manducâsti cum illis? Incipiens autem Petrus, exponebat illis ordine, &c. Annon autem factum hoc Judæorum, præsupposito Petri Pontificatu, fuisset iniquissimum, & gravi animadversione dignum, quòd isti subditi, obloqui summo Pontifici, eius facta examinare, & cum ipso exostulare non erubescerent? Certè, si putâssent isti, Ecclesie præfectum esse Apostolum Petrum, eumq; disponendi & gubernandi summam habere potestatem, nullatenus ipsi fuissent oblocuti, sed potius Patris & Pape sui sententiam continuo approbâssent, iudicio eius sanctè acquiescentes.*

C C X X X V I.

*Quin & Petrus ipse, reprehensionem meritò incurrisset, quòd adeò immemor sui Pontificatus, sibiq; concredite potestatis, obloquentes Judæos non coercuisset, & ad obedientiam, summo Pontifici ex necessitate salutis debitam, severè admonuisset. Neq; est, ut hoc humilitati Petrinae adscribatur, siquidem illaudata & perniciofa est humilitas, quæ neglectum & omissionem mandati muneris importat. Quòd si autem laudi ducunt Petro humilitatem istam, cur non etiamnum hodiè Romanus Pontifex eidem virtuti operam navat, & de suo primatu, ob infirmorum offensionem, non nihil remittit? Nonne hoc indicium est satis manifestum, ipsi elationem magis, quàm submissionem arridere, Petriq; titulum quidem præterendere, sed humilitatem non imitari?*

C C X X X V I I.

IV. Communis controversiarum decisio, *cujus exemplum la-*



plum legimus Act. 15. v. 5. & seqq. Surrexerunt quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes, quia oportet circumcidi eos, & præcipere servare legem Moſis. Conveneruntque Apostoli & Seniores videre de verbo hoc, &c. Ubi diligenter notandum, quòd non ad ſolum Petrum, tanquam Pontificem œcumenicum ſed omnes Apostolos conjunctim provocatum ſit, qui etiam omnes fuerunt iudices iſtius controverſie, votiq; communibus litem iſtam tum deciderunt, tum deciſam ſcriptamq; ad Eccleſias Antiochenas miſerunt. Ita enim dicitur v. 22. Placuit nobis collectis in unum, & v. 28. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, &c.

## C C X X V I I I.

Si autem Petrus à Christo legitimus & infallibilis omnium controverſiarum Judex conſtitutus fuit, cur ipſe non ſolus ſententiam tulit, vel cur latam ſolus non executus eſt? Hoc certè requirebat officium univerſalis Judicis, quo tum temporis negligenter perfunctum eſſe Petrum num. concedent Pontifici? Totum iſtud capitulum evidenter, & multis in verſibus indicat, Petrum non indixiſſe iſtud concilium, ſed Paulum & Barnabam, volentibus Eccleſiæ Antiochenaſe fratribus, aſcendiſſe Hieroſolyman, ibiq; Apostolos ultrò conveniſſe, quibus omnibus, & non ſoli Petro, tum iſta quaſtionis deciſio, tum deciſionis executio conjunctim adſcribitur, quod etiam non diffitetur Bellarm. l. 1. de Concil. c. 16. col. 39. A. ſcribens diſertè, in iſto concilio interfuiſſe Apostolos, tanquam Judices ad definiendum, preſbyteros autem ad conſultandum.

## C C X X X I X.

Inde autem ſic argumentor: Si Apostoli omnes ac ſinguli ad definiendum convenerunt, ut Judices, utiq; hoc de ſolo Petro dici nequit. Quomodo enim uni assignabitur deciſio controverſiæ, quam multi definiunt? Hoc ipſum verò univerſalem Pontificatum proſus tollit, quandoquidem illius pars præcipua eſt, omnes exortas lites componere, & ita quidem, ut iudicium de iis ſummum, iudicijq; executio apud neminem alium, quam ſolum Pontificem poſita æſtimetur.

## C C X L.

Quòd verò reſponderunt, Petrum fuiſſe iſtius concilii præſidem, iudicandi; potestatem reliquis conceſſiſſe Apostolis, mera eſt principij petitiõ. De Iacobo, Hieroſolymitano Epifcopo, hoc poſſet dici probabilius, quoniam hic v. 19. ait: Ego iudico, nõ inquietari eos, qui ex gentilib. convertuntur ad Deũ, ſed ſcribere ad eos ut abſtineant, &c. Quòd Iacobi iudiciũ, licet ab  
omnibus

## DISCURSUS THEOLOGICUS

omnibus Apostolis statim fuerit, nullo reclamante, approbatum, hinc tamen minimè inferri volunt Pontifici, ipsum fuisse concilij presidem. Quòd si autem similia de Petro scripta essent, prob, quàm gestirent, quàm tripudiarerit Papicola? Quoniam verò tale nihil legitur, sed omnia communibus votis & sententiis, à singulis & universis Apostolis acta esse scribuntur, Pontificatum utiq; Petri, in Ecclesiâ Apostolicâ, fuisse incognitum & inusitatum, firmiter colligitur.

### C C X L I.

V. Communis Ecclesiarum inspectio. Si enim soli Petro commissum & demandatum fuisset officium, omnes omninò oves Christi pascendi, tum etiam actu pavisset omnes. Hoc autem ab ipso factum non est: unde vicissim Pontificatus eius universalis labascit. Minor probatur 1. quia & ceteri Apostoli pari cura & sollicitudine gregem Domini paverunt, & ad pascendum, non à Petro, sed Christo ablegati sunt, quod & Apostolus Paulus de se ipso scribit, Galat. 1. v. 1. 2. Quia Paulus 1. Corinth. 3. & plantantem & rigantem, id est, omnes Apostolos unum esse dicit v. 7. pariterq; ministros Domini v. 5. & tum Paulum, tum Apollinem, tum Cepham Corinthiorum esse, v. 22. Igitur aequales omninò erant, equalémq; curam sine ulla superioritate aut primatu, gerebant.

### C C X L I I.

3. Quia Galat. 2. v. 9. Pauli Petriq; opera predicatoria dividuntur. Sic enim verba habent: Cùm cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus & Cephas, & Johannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos quidem ingentes, ipsi verò in circumcissionem, tantùm ut pauperum memores essemus. Quo unico certè dicto, veluti fortissimo ariete, fictus iste primatus Petri fortiter convelli potest.

### C C X L I I I.

Primum enim non solus Petrus, sed unà Jacobus & Johannes dicuntur columnæ, vel quod visi sint esse columnæ. Deinde ipsdem à Paulo data fuit dextera societatis, id quod fieri non potuisset aut debuisset, si Petrus universalem Episcopatum gessisset. Dextera enim societatis non datur ab inferiori & servo Magistratus, sed duntaxat socio, pari, & equali. Præterea, (quod huc maximè spectat) pactum quasi erigunt, ut in posterum, Paulus gentilibus, Petrus autem Judæis, ordinariè Evangelium predicaret. Hoc versu quoq; 7. innuitur, à Paulo sic scribente: Creditum est mihi

mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcissionis. Quod si a-  
rem universalis pastoratus Petro fuisset commissus, cur non & gentilibus  
æquè predicavit? cur pastura Ethnicorum Paulo præcipuè commissa  
fuit?

## CCXLIV.

Neg. dici potest, quòd Paulus à Petro id facere jussus sit, siquidem  
predicandi officio perfunctus est multò etiam antè, quàm vidisset Pe-  
trum, Galat. 1. v. 17. 18. 19. Et c. 2. v. 6. nihil amplius sibi collatum vel  
expositum dicit, à quoquam Apostolo; sed à Domino sibi creditum esse  
Evangelium præputij v. 7. Firmissimum ergò hoc est argumentum: Si  
à Domino cura Ethnicarum Ecclesiarum Paulo, Judaicarum verò Petro  
commissa & tradita est, tum universalis pastor ac Pontifex non fuit Pe-  
trus. Verissimum autem est antecedens. Ergò & consequens.

## CCXLV.

Addo propriam Bellarmin. confessionem ex l. 1. c. 27. col 708. A-  
postolus Paulus, inquit, pluribus in locis plantavit fidem, quàm ul-  
lus alius. Nam cæteri Apostoli missi sunt ad certas provincias. Pau-  
lus ad omnes gentes, sine certæ provinciæ determinatione, & ipse de  
se ait: Plus omnibus laboravi, 1. Corinth. 15. Hinc infero: Si solus  
Paulus ad omnes gentes missus fuit, & cæteri Apostoli ad certas saltem pro-  
vincias, tum Petrus dici nequit universalis Episcopus. Qui enim non  
omnibus præest Ecclesiis, sed ad certas mittitur provincias, is, nisi lega-  
tionem suam deserere velit, & latius extendere, aliarum inspectionem  
non habet, aut habere debet. Atqui, dicente Bellarmin. cæteri Apostoli  
omnes, atq; sic etiam Petrus, quem hîc peculiariter Paulo opponit ad cer-  
tas duntaxat provincias ablegati sunt: solus Paulus ad omnes Gentes abiit.  
Ergò si aliquis sit universalis pastor & Episcopus, ille non Petrus, sed po-  
tius Paulus erit.

## CCXLVI.

4. Quia non solus Petrus, sed & reliqui Apostoli, sæpè etiam sine  
Petri jussu & consilio, Ecclesiis præfecerunt Episcopos, presbyteros & pa-  
stores. Nam Actor. 6. v. 5. & sequentibus, Apostoli omnes communibus  
votis septem eligunt diaconos, qui non saltem serviles præstabant operæ,  
sed & Evangelium prædicabant, uti Baronius ipse contra Cajetanum  
disputat, tom. I. Annal. p. 270. Actor. 14. v. 22. Paulus & Barnabas con-  
stituerunt per singulas Ecclesias presbyteros. Paulus constituit Titum

τῆς κηλῶν ἐκκλησίας πρῶτον ἡπίσινον χειροτονηθέντα, uti colligitur ex c. 1.

K

episto-

## DISCURSUS THEOLOGICUS

epistolæ ad Titum v. 5. & c. 3. v. ultim. quin & ipsi tum mandatum, tum potestatem dedit constituendi per civitates presbyteros, c. 1. v. 5. id quod Papicole pro solius summi Pontificis officio reputant. Quoniam ergo Paulus ipse Episcopus, & quidem primos, ac χειροτονήσας elegit & ordinavit, utiq; talis, qualem Pontificij describunt, Episcopus œcumenicus in Ecclesiâ Apostolica non fuit: huic enim partes suas non præripuisset Apostolus Paulus.

### CCXLVII.

5. Quia Petrus se non universalem pastorem reliquis præfectum, sed συμπρεσβύτερον vocat, 1. Epist. 5. v. 1. πρεσβύτερος τῆς ἐν ὑμῖν ἐκκλησίας ὁ συμπρεσβύτερος. Qui autem est συμπρεσβύτερος, ille non est universalis pastor aut Pontifex, nisi & reliquos eius conseniores tales existimaveris, eò quòd Sympresbyterium equalitatem & paritatem tum officij, tum potestatis denotet. Se igitur potius Pontificem œcumenicum vocare debuisset; & imperare, non obsecrare, si Papali officio rectè voluisset præesse, quemadmodum hodierni Pontifices præfunt.

### CCXLVIII.

V I. Petri simulatio, & à Paulo facta reprehensio, de qua Galat. 2. v. 11. sic scribitur: Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Istud verò peccatum Petri fuit, quòd primùm comederit cum gentibus, de iis etiam cibus, qui lege Mosaica fuerunt prohibiti, post autem, cum venirent Judæi, subtraxit sese, & noluit comedere, timens eos, qui erant ex circumcissione, atq; ita simulavit, ac si lex Mosaica nondum esset penitus sublata, cui simulationi consenserunt & ceteri Judæi, ita, ut & Barnabas duceretur in illam simulationem. Cum ergo vidisset Paulus, quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelij, dixit Cephæ, v. 14. Si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, & non Judaicè, (comedendo nimirum de cibus lege interdictis,) quomodo Gentes cogis, (pravo nimirum exemplo) Judaizare?

### CCXLIX.

Qua ex historia rationes plurimæ contra primatum Petri deduci possent, sed paucas & præcipuas saltem annotabo. 1. Pontifici summo & Episcopo œcumenico nemo ex Episcopis aliis vel saltem privatim, nedum apertè, & in faciem debet resistere, sicuti suprâ allegata Pontificiorum testimonia evincunt. Atqui Apostolus Paulus Petro non privatim, sed publicè; non obliquè, sed in faciem restitit, Gal. 2. v. 11. Ergo vel Paulus resisten-

resisten-

resistendo graviter deliquit, quod absurdum; aut Apostolus Petrus non fuit Pontifex universalis, quod verissimum.

## C C L.

2. Papa œcumenicus à nullo est reprehensibilis, nec errat, sed semper ad veritatem Evangelij rectè ambulat: quæ propositio vicissim Pontificiorum est. Petrus autem fuit reprehensibilis, v. 11. simulavit, v. 12. in simulationem alios induxit. v. 13. non rectè ambulavit ad veritatem Evangelij, & Gentes judaizare coëgit, v. 14. Ergò Apost. Petrus non fuit Papa œcumenicus.

## C C L I.

Bellar. l. 1. c. 28. col. 716. excipit; aut hoc factum omni peccato vacasse, aut certè levissimum fuisse, & absque ullâ Petri culpâ commissum, siquidem optimo id animo fecerit. Verùm non rectè ad veritatem Evangelij ambulare, annon peccatum est? num qui reprehensibilis & dignus, ut ei in faciem resistatur, ab omni culpa alienus putabitur? Intentio verò bona factum malum non excusat, cum juxta pronunciatum Apostoli non sint facienda mala, ut inde eveniant bona, Rom. 3. v. 8.

## C C L I I.

3. Pontifex universalis non timet, nec timere potest quosvis alios sibi subiectos, cum summum super ipsos habeat imperium, & absolutam condemnandi, corrigendi corripienti, & puniendi potestatem. Inauditum enim est, ut major minorem, aut Dominus suum servum timeat. Petrus autem, cum gentilibus cibos interdictos manducans, timuit Judæos, & eorum severam animadversionem. Ergò non fuit Pontifex universalis. Etenim, etiamsi voluissent Judæi obloqui, vel factum istud vituperare, potuisset pro potestate concessa, quin & debuisset eos cohibere, & rectè informare, ne tum in errore de legis Mosaicæ observantia, tum in perscripta erga summum pastorem centumacia, cum animarum dispendio permanerent.

## C C L I I I.

4. Summi Pontificis est, omnes controversias decidere, litesq; Ecclesiasticas quasvis dijudicare & componere. Petrus autem non omnes judicavit, sed judicatus ipse est ab Apostolo Paulo, qui & quæstionē istam de ciborum manducatione, inter Antiochenos & Judæos controversam decidit, ita, ut ipse solus esset judex, Petrus autem non judex, sed pars judicanda, qui etiam judicio Pauli statim acquievit.

## C C L I V.

V I I. Petrina dominatus prohibitio, quæ legitur  
1. Epistol. 5. vers. 2. & 3. Pascite qui in vobis est, gregem DNI,  
Πασκατέοντες μὴ ἀναγκασθῶς ἀλλ' ἐκούσιως, μὴ ἀιχροκερδῶς,  
K 2 ἀλλ' αἰ

## DISCURSUS THEOLOGICUS

ἀλλὰ πρὸ θυμῶς, μὴδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι  
 ἔ ποιμνίας. Quo ex praecepto Apostolico taliter argumentor: Si non licet  
 κατακυριεύειν τῶν κλήρων, tum Pontificatus universalis ab A. Petro est pro-  
 hibitus. Non enim hic sine dominatu ἔ κυριότητι vel fingi vel cogitari  
 potest. Etenim summi Pontificis est, ferre leges obligantes in conscientia  
 ἔ cogentes, deponere principes, ἔ mutare regna, dyndicare controversias,  
 latamq; sententiam potenter exequi: quae omnia quid sunt aliud, quàm  
 κατακυριεύειν ἔ dominari? Apostolus autem Petrus, loco allegato, cla-  
 re edixit, non licere κατακυριεύειν τῶν κλήρων. Pontificatum igitur uni-  
 versalem prohibuit. E. nec ipse summus Pontifex fuit, nec si fuisset, in Ponti-  
 ficatu sibi succedi voluisset.

### CCLV.

Excipit Gretserus l. i. c. 9. à Petro non primatum ipsum, sed pri-  
 matus saltem fastum & ambitum prohiberi. Sed quomodo probabi-  
 tur haec glossa? Textus absolutè loquitur, non modificate: ipsum κατακυρι-  
 εῦειν, non modus, non abusus ponitur ἔ nominatur. Proculdubio igitur,  
 cum haec scriberet Gretserus, cogitavit istud Hungarianum principium,  
 valdè jejunum ἔ ridiculum, in Colloquio Ratisbonensi prolatum:  
 Vos estis mirabiles Domini; vestrum est opponere, & nostrum est re-  
 spondere, & vestrum est acquiescere. Imò vos Jesuita estis mirabiles  
 asini, quòd ad argumenta nostra respondere vultis, responsum tamen nullà  
 ratione confirmatis.

### CCLVI.

VIII. Æqualis Pauli cum Petro dignitas. Si Aposto-  
 lus Paulus nullatenus fuit Petro inferior, sed omne id, quod Petrus age-  
 bat, ἔ Paulo licitum erat, utiq; Petrus non fuit universalis Pontifex.  
 Nisi enim Petrus Paulo fuisset superior, ἔ ille huic subiectus, universa-  
 lis appellari non poterit. Atqui A. Paulus Petro summisq; Apostolis  
 aliis nullatenus fuit inferior, id quod de seipso conceptis verbis scripsit 2. Co-  
 rinth. 12. v. 11. Nihil minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli.  
 Quomodo igitur potestas Petri summa, Pauli non summa; illius indepen-  
 dens, huius dependens fuit? Qui enim in nulla re minor est, nec in digni-  
 tate ἔ potestate officii minor esse potest. Ubi autem summa aequalitas,  
 ibi nulla locum habet superioritas. Ergò, si Petrus fuit Pontifex, ἔ  
 Paulus fuit, quia nihil minus se fuisse dicit à summis Apostolis, quorum  
 numero Petrum haud reor excepturos Papicolas.

Præterea 2. Cor. 11. v. 5. Existimo, inquit, nihil me minus fecisse à magnis Apostolis. Si igitur Petrus, tanquam maximus Apostolus, universalis Ecclesiam gubernavit, & Paulus hoc fecit, quia nihil minus fecit. Aut ergò nullus, aut duo fuerunt simul & semel Pontifices. Hoc verò cum sit, & ipsis fatentibus Papistis, absurdissimum, illud erit verissimum. Et quid tandem fuit, quod præ Apostolo Paulo Petrus egit? Constituit Episcopos: factum & hoc à Paulo, Act. 14. Tit. 1. v. 5. Excommunicavit errantes fecit & Paulus, 1. Cor. 5. v. 5. Habuit sollicitudinem omnium Ecclesiarum: habuit & Paulus, 2. Cor. 11. v. 28. Increpavit delinquentes: increpavit & Paulus Galatas deviantes. Ita nihil proferri potest, quod Petrus proprium, & non unâ cum Paulo commune habuerit.

## CCLVIII.

Deniq; Gal. 2. v. 6. clarè dicitur: Mihi qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt, οὐδὲν ἔδωκεν μοι. Ubi nota 1. quòd non dicit, qui erant aliquid, vel eminebant præ cæteris, sed qui videbantur esse aliquid, haud obscure innuens, nonnullos potius ex opinione hominum, quàm rei veritate pro primis reputatos fuisse. 2. quòd nihil sibi collatum vel appositum ab aliis dicit Apostolis, inter quos præcipuè Petrum intelligit. Quòd si autem hic fuisset Papa universalis, & majoris præ Paulo dignitatis, quomodo nihil contulisset? An princeps suis subditis, Papa suis inferioribus Episcopis nihil conferre putandus est? Certè qui ab alio dependent, potestatemq; subordinatam habent, ab eo, à quo dependent, & cui subordinati sunt, multum sibi collatum ut fateantur, necessum est. Paulus autem multis verbis hoc à se removeret. Petro igitur inferior non fuit, sed par, & per omnia aequalis.

## CCLIX.

IX. Apostoli Pauli prærogativæ. Semper urgent Pontificij peculiaria nonnulla Petri, vel dona, vel facta, ex quibus primatum ipsius in Apostolica primitiva Ecclesia probare se posse arbitrantur, uti videre est apud Bellar. l. 1. c. 17. usq; ad 25. Ast si res diligenter consideretur, apparebit, longè præstantiores emicuisse in Apostolo Paulo prærogativas, ideoq; vel Paulum unâ fuisse Pontificem, vel argumentum ex prærogativis deductum omninò vacillare, concludendum est.

## CCLX.

Etenim 1. Apostolus Paulus longè illustriori & excellentiori modo vocatus est ad Apostolatam, quàm Petrus. Ille à Christo in statu Exalta-

## DISCURSUS THEOLOGICUS

tionis, hic exinationis electus; ille magnâ pompâ, præeunte luminis cœlestis nitore, & voce divinâ, cœlitus demissâ, Act. 9. v. 3. hic sine talibus solennitatibus vocatus est, Matth. 4. v. 18. 19. 2. Paulus fuit in tertium cœlum raptus, ibiq; audiuit verba ἀόρατα. 2. Cor. 12. v. 1. & seqq. de Petro tale nusquam legitur. 3. Christus post ascensionem Paulo apparuit in visibili forma, Act. 23. v. 11. 1. Cor. 15. v. 8. Petro idem contigisse in Scriptura nullibi extat. 4. Paulus erat universalis omnium gentium Apostolus, unde etiam κατ' ἐξοχήν & olim dictus, & etiamnum hodiè dicitur Apostolus, sine nominis proprii adiectione: Petrus non item. &c.

### CCLXI.

5. Paulus in veritate fidei semper ambulavit, & in nullum errorem lapsus est post Apostolatam. Petrus autem erravit simulando & erranti graviter restitit Paulus, Gal. 2. v. 11. 6. Paulus plures plantavit Ecclesias, magisq; omnibus laboravit, dicente ipso, 1. Cor. 15. v. 10. nec diffitente Bellarm. l. 1. c. 27. 7. Plures etiam pro Christo, Christiq; Evangelio sustinuit plagas & calamitates, 2. Cor. 11. v. 23. & seqq. hinc gloriatur se portare stigmata Domini Jesu in corpore suo, Gal. 6. v. 14.

### CCLXII.

8. Paulus fuit Petro piscatore doctior & sapientior, utpote Philosophiæ & Pharisaicæ doctrinæ notitiâ instructus. 9. Paulus plura edidit Scripta, quàm Petrus, ita, ut adhuc hodiè à Paulo in Ecclesiam plus redundet utilitatis, quàm ab A. Petro. 10. Pauli ministerium longè erat difficilius, & magis arduum, quandoquidem cum incredulis gentilibus, & obstinatis Philosophis ipsi disputandum, qui nullam Scripturam recipiebant, sed duntaxat rationibus secum agi volebant: Judæi autem (quos docebat Petrus) & Messiam expectabant, & multos fidei articulos antè credebant, quin & libros Propheticos, ut verbum Jehova, sanctè venerabantur: unde & illorum conversio, & ad fidem persuasio, ex parte Petri, erat facilior.

### CCLXIII.

11. Lib. 1. c. 27. concedit Bellarm. ipse, in antiquis imaginibus & diplomatibus, Paulum quandoq; Petro præpositum fuisse, ita, ut colligat inde, Apostolos illos, vel inter se pares fuisse, vel ignorari, uter alteri præstet, siquidem Petrus maior sit potestate, Paulus sapientiâ, Petro clavis potentia, Paulo sapientiæ data sit. Cùm autem hætenus satis probatum dederim, potestatem Pauli Petriq; fuisse eandem, utpote utramque Apostolicam, manet hoc firmum, Apostolum Paulum ratione



certâ præferri posse Petro, ideâq; si secundum prerogativas externas iudicium formari debeat, Pontificatus universalis A. Paulo præ Petro foret ascribendus. De laudibus verò & prerogativis Pauli plura qui cognoscere velit, legat homilias Chrysostomi, & Magdeburgenses, Centur. 1. l. 2. c. 10. à col. 586. usq; ad 608.

## CCLXIV.

Et hæctenus quidem satis ostensum, in Apostolica Ecclesia Pontificatum & primatum viguisse nullum, eò, quòd Apostoli omnes ac singuli, pari dignitatis & potestatis consortio præditi, unanimiter & communibus curis universum Domini gregem gubernârunt: nunc de Ecclesiâ successivâ id ipsum paucis etiam demonstrare aggredior.

## CCLXV.

Et quidem, si veterum Patrum Scripta, & antiquissimas Ecclesiæ Christianæ historias evolvamur, generalis Episcopi, summæ Pontificis, per prima secula nullibi mentionem fieri deprehendemus. Simplicissima enim tum erat forma, & politia Ecclesiæ, non divisa in multos diversosq; ordines, non subiecta uni alicui Papæ, non gravata superbientium, Cardinalium, Archiepiscoporum, aut Metropolitanorum numerosâ multitudine, sed totum Ecclesiæ ministerium paucissimis duntaxat, sive gradibus, sive ordinibus terminabatur, Episcopis nimirum, presbyteris & diaconis, quorum officium erat idem, consistens in predicatione verbi, & administratione Sacramentorum: saltem in eo erat differentia, quòd Episcopi inspectionem habebant superiorem, & de casibus ambiguis iudicabant, utq; omnia ordinate & decenter fierent, disponebant, &c.

## CCLXVI.

Hinc in Gallicana Ecclesiâ ministri plures non commemorantur, quàm Episcopi, presbyteri & diaconi, ut patet ex Epist. Lugdunens. Martyrum ad Africæ Ecclesias, apud Eusebium l. 5. c. 1. Hieronymus quoq; in Epistola ad Evagrium testatur, in Alexandrina Ecclesia non fuisse plures gradus, quàm Episcopatum, presbyterium & diaconatum, quod etiam satis evidenter patet ex libris Clementis Alexandrini, & Epist. Ignatii.

## CCLXVII.

Referunt Magdeb. Cent. 2. c. 7 col. 146. ex Nicephori l. 3. c. 29. Eleutherium ab Aniceto, vel potius Anacleto sacras literas edoctum, sacro clero numero insertum esse, & 15. anno ætatis diaconi gradum accepisse, & triennio post, presbyterum creatum, & anno 20. ætatis Episcopum delectum, & Illyriam missum esse, unde qui gradus Romæ sub Hadriano fuerint, colligi potest.

268. Omnes

## DISCURSUS THEOLOGICUS CCLXVIII.

Omnes etiam, qui vitas Romanorum Episcoporum, secundo, post Christum natum, seculo viventium, descripserunt, quoties ordinationum mentionem faciunt, quasii Episcopi celebrârunt, tantum referunt Episcopos, presbyteros, & diaconos ordinatos esse: nec ullius Romani Episcopi decretis, aut epistolis, plurimum & superiorum graduum inventio aut institutio, in Romanâ Ecclesiâ, innuitur; quamvis inferiores nonnulli exprimentur, & per gradus ascendendum esse dicatur, nempe ut quis primum fiat ostiarius, deinde lector, postea exorcista, acolitus, subdiaconus, presbyter, & postremò Episcopus, qui summus & ultimus gradus fuit.

## CCLXIX.

Notandum verò, quòd hæc Ecclesia successiva ab Apostolicâ primitivâ nonnihil discrepaverit, ob presbyterii & Episcopatus distinctionem. Etenim tempore Apostolorum duo isti gradus non erant distincti, sed pro uno eodemq; habebantur, ita ut omnis presbyter esset Episcopus, & contra: id quod haud obscure colligitur ex Act. 20. ubi πρεσβυτέρους ἐφεσίμβυτας uti vocantur v. 17. Paulus ita alloquitur v. 28. Attendite vobis & uni-verso gregi, ἐν ᾧ ὑμεῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔδετο Ἐπισκόπος ποιμαίνει τὴν ἐκκλησίαν ἡ Θεός. Ad Tit. 1. v. 5. precipitur Titò, ut constituat presbyteros, quibus v. 7. nomen Episcopi attribuitur. 1. ad Timoth. 4. v. 14. ait Paulus: Nolinegligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi, per impositionem manuum presbyterii: quo nomine ipsi Pontificii eorum Episcoporum intelligunt. 1. Pet. 5. qui versu 1. nominantur presbyteri, v. 2. dicuntur Ἐπισκοποῦντες. Et A. Petrus ipse v. 1. se vocat συμπρεσβύτερον, i. e. coepiscopum.

## CCLXX.

Post Apostolorum verò tempora presbyterium ab Episcopatu distingui coeptum est, ita, ut in sublimiori gradu positi putarentur Episcopi quam Presbyteri, id quod aperte testatur Hier. in epistola ad Evagrium scribens; tempore Apostolorum non fuisse distinctos gradus Episcoporum & presbyterorum: sed postea in schismatis medium unum, ex presbyteris esse electum, & in excessiori gradu collocatum, & Episcopum appellatum, qui solo ordinationis officio à presbyteris differret. Hoc ipsum clarius expressit in Comm. super cap. 1. Epistolæ ad Tit. Idem, inquit, est presbyter, qui Episcopus, & antequam, diaboli instinctu, studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum  
Pauli

Pauli, Ego verò Cepha, communi presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur; postquam verò unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.

## CCLXXI.

*Quem ad locum Bellar. de Cler. l. 1. c. 15. nihil aliud respondere potuit, quam dubitanter locutum esse Hieronymum, nec omninò certum fuisse: cum tamen & verba sint clarissima, & in seqq. adhuc manifestius se declararet, inquit: Sicut presbyteri sciunt, se ex Ecclesiae consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos, ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere.*

## CCLXXII.

*Ex his igitur constat, secundo Ecclesiae seculo, altum de universali Pontifice fuisse silentium, adeò quidem, ut illam quoque Episcoporum Ecclesiam in commune gubernantium, superioritatem, non ex institutione Dominicâ, sed ordinatione duntaxat & consuetudine humanâ propter schismata eo facilius tollenda, fluxisse existimatum sit.*

## CCLXXIII.

*Præterea memorât Magd. burgenses, loco dicto col. 137. venisse Polycarpum Romam, & cum Anacleto contulisse de Paschate, ubi allegaverit auctoritatem Christi, & Joann. Apostoli, veteremque consuetudinem: Anacletum verò, neque Petri neque aliorum auctoritatem citasse, sed tantum dixisse, consuetudinem presbyterorum, qui se antecessissent, servandam sibi esse. Neque etiam coëgit Polycarpum, ut idem faceret, neque eum excommunicavit, nec Polycarpus pro peccato habuit, ab Episcopo Romano dissentire, quod omninò fecisset, si eum, ut caput, & vicarium Christi, auctoritate divinâ constitutum agnovisset.*

## CCLXXIV.

*Nomen quoque summi Papæ, aut Pontificis œcumenici, apud nullum antiquum autorem reperitur; sed qui Ecclesiam Romanam gubernabant, ii vocabantur saltim Episcopi, & quidem non totius orbis, sed saltim Romanæ urbis; nec aliis præponebantur, aut super Ecclesias exteras potestatem habebant; verum ea curabant unice, quæ ad suum Episcopatum directè pertinebant, aliis tamen Ecclesiis suum consilium (quod & faciebant Episcopi reliqui) in casibus dubiis non denegantes. id quod l. d. fusè probatur ab autoribus historiae Ecclesiasticæ, ad quam studiosum, et veritatis cupidum lectorem, brevitate causâ, remitto.*

L

275. Istud

DISCURSUS THEOLOGICUS  
CCLXXV.

*Istud verò extra omnem est controversiam, temporalem potestatem & jurisdictionem Episcopis Romanis non fuisse concessam, multò minus super Imperatores, Reges, aut Principes se extulisse, verùm humiliter subiectos fuisse, & lubentissimo animo paruisse, neq; ullum affectasse primatum, dum modò ipsis liberum cultus divini exercitium, inter rabiem & tyrannidem istam, permetteretur.*

CCLXXVI.

*Satis ergò superq; ex modo dictis constat, in Ecclesia temporibus Apostolorum proximà, universalem Pontificatum non obtinuisse sed Ecclesias ab Episcopis, communibus operis & consiliis fuisse gubernatas. Unde porrò apparet, quid de Pontificum Epistolis decretalibus, vel excretalibus (ut Luth. vocavit) sentiendum sit, quando quidem in iis perpetuò jactatur Monarchia & dominatus primorum quoq; Episcoporum Romanorum, de quo tamen apud probatos priscosq; scriptores silentium est longè altissimum.*

*Questio Septima.*

Quando, quo modo, quibusue mediis Monarchia Papalis in Ecclesiam fuerit introducta?

CCLXXVII.

*Duplici argumentorum genere pro stabiliendo solio Papali utuntur Jesuite, ut patet ex l. 2. Bellar. c. 17. Alterum ostensivum vocant, quando ex ipsa Scriptura, Christi q; verbis & Ecclesiasticis scriptoribus, Monarchicum regimen probare presumunt; quod ipsum contrariis demonstrationibus hætenus infirmatum, & fortiter refutatum est: alterum (de quo dicendum restat) ad impossibile ducit, quando disputant, nullum tempus assignari posse, nullumq; Episcopum nominari, qui primus sibi Pontificatum rapuerit, & non potius à suo prædecessore acceperit, unde ipsi colligunt, ad Christum, Christi q; temporatandem veniendum esse, si certi quid de origine Romani primatus affirmare voluerimus.*

CCLXXVIII.

*Et sanè plausibiliter hæc urgere sciunt, præsertim ideò, quia nostri Theologi, in assignatione temporis, per omnia convenire non videntur, dum alii initium Papalis Monarchiæ in tertium, alii in sextum, alii in decimum, alii in aliud seculum referunt. In omni autem regiminis mutatio*

*tatio*

ratione ostendi debet & nominari manifestè, tum author, qui mutationem primum introduxit, tum tempus, quo introductum fuit, &c. quod quia à nobis prestari nequeat, causam se obtinuisse, nos perdidisse, plusquam thra-sonicè gloriantur.

## CCLXXIX.

Vt verò & hoc telum ipsis eripiatur, ante omnia tenendum, quòd ad demonstrandam mutationem, non requiratur singularum circumstantiarum accurata vel noticia, vel enumeratio, quãdoquidem istæ res non constituunt, sed extrinsecè duntaxat comitantur. Igitur sufficit, si evidenter ostendatur, aliam tempore Christi & Apostolorum, aliamquæ subsequenter seculis Ecclesiastici regiminis formam fuisse, licet & tempus, & authorem primum huius factæ mutationis ignoremus.

## CCLXXX.

Ne autem sine ratione hoc dixisse videar, considerari volo, 1. parabolam Christi, Matth. 13. v. 24. & 25. Legimus ibi, bonum semen in agro Domini seminatum fuisse primo tempore, postea verò coloni mutationem, & aspersa zizania invenerunt. Ipsi verò ignorabant tempus, quo hoc factum fuerat, & authorem, cuius astutiâ commissum. Ideo accedunt herum, dicentes; Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergò habet zizania? Ibi responsum accipiunt, quòd inimicus id fecerit, & quidem hominibus dormientibus, & tale nihil observantibus. Quã ex parabolâ colligitur manifestè, mutationem sæpè fieri, ut nihilominus postea tempus lateat, quoniam dormientibus & negligentibus hominibus degeneratio ista facta est.

## CCLXXXI.

2. Exemplum doctrinæ Pharisaicæ, quã cum superstitione Papistica cognationem habet maximam. Erant à Phariseis introductæ multæ ceremoniæ, antehac inusitate, traditiones & ἐπιτάγματα hominum circumferebantur plurima, doctrina legis per alienas interpretationes miserè erat depravata, & opiniones falsæ, de justitia, de Messia, de regno eius, aliisque fidei articulis, Ecclesiam quasi suppresserant, ita quidem, ut ab antiqua Mosaica & Prophetica doctrina plurimum fuerit discessum. Jam verò quis nominabit mihi præcisè tempus, quo hæc contigerunt? quis ostendet primum authorem, quo mutatio ista fieri

## DISCURSUS THEOLOGICUS

*coepa? quis alias circumstantias ordine & articulatè recensebit? Num autem, quia hæc ignorantur, de religionis inflexione dubitandum erit? Haud opinor.*

### CCLXXII.

3. Exemplum Ecclesiæ Constantinopolitanæ. *Fuit hæc primis seculis celebratissima, quoad fidei orthodoxian, & maxime catholica. Post autem à puritate Evangelii deviâsse, multasque peregrinas irrepsisse sententias, & experientia docuit, & Pontificii non dissentur. Neque tamen certi quid de circumstantiis huius variationis constat, neque nos hanc, ob illarum ignorantiam, insiciari possumus.* 4. Exemplum politicarum mutationum. *Sape contingunt in Rebus publicis alterationes varia, & legum morumque, laudabilium inclinationes, communi morbo vitioque hominum, à maiorum curriculo discedentium: neque tamen illarum vel authores, vel primum tempus, vel modus, aliæque circumstantia nota sunt.*

### CCLXXIII.

5. Exemplum Ecclesiæ Papisticæ. *Hanc à simplicitate cultus & puritate fidei deflexisse, multisque abusibus repletam & ipsi fatentur Pontificii. Nota sunt querela, superioribus seculis, ob curiæ Romanæ perversitatem, à piis doctisque, viris creberrimè facta. Constat, quid Marfilus Patavinus, quid Nicolaus Clemanges, quid Georg. Cassander, aliique desideraverint. Venerabilis Beda, de degenerante suo tempore Ecclesia scripsit: Videt quisque non sine lachrymis rem indignam, quantum Ecclesiæ status ad peiora quotidie, & in infima devolvatur. Bernhardus, Hodiè, inquit, serpit putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quò latius, eò desperatiùs, eoque periculosius, quò interiùs. Petrus Blesensis epist. 55. ait: Clerici & Episcopi occisores Romam mittuntur, euntesque in delictis cum plenitudine gratiæ Apostolicæ & majori delinquendi audaciâ revertuntur. Hic Christus exul, Antichristus Dominus, Beelzebub iudex. Elisabeth virgo, in visione suâ, Mater, inquit, meretrix est, Pater scurra & Sodomita: Ergò nunc quæro: Pullus qualis erit, quem fert commixtio talis? Pauli III. jussu novem ad id delecti partim Cardinales, partim Episcopi, peculiari libello morbos Ecclesiæ Romanæ descripserunt, quem quidem latere perpetuò volebant, sed operâ Nicolai, Archiepiscopi Capuani, in Germaniam emanavit, referente Vergerio, in annotatione super*

super Catalog. hæret. tom. 1. fol. 251. & seqq Petrus de Alliaco, Cardinalis Cameracensis. integrum conscripsit tractatum, de modo reformandæ Ecclesiam Romanam, in quo de religionis immutatione sapissimè conqueritur. Citat ex eo multa lectu digna Joh. Wolffius tom. 1. centen. 15 p. 757. & seqq. Notum est antiquum Proverbium: Ecclesiæ præses est deses; non mollit, sed tollit. Plura hujusmodi vide in Papâ non Papâ Dn. D. Osiandri, loco 10. p. 69. & seqq.

## C C L X X I V.

Ipsè Pontifex Adrianus V I. referente Flacio, l. de diffensionibus Pontificiorum, pag. 101. in Comitii Norimbergensibus, Anno 1523. celebratis, per legatum suum idem confessus est; Scimus, inquit, in hac sanctâ sede iam aliquot annis, multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata. Nec mirum, si ægritudo à capite in membra, à summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit. Dicant autem tempus, monstrant authorem primum hujus immutationis; recenseant locum modumq; errantis, & in perversa ruentis Ecclesiæ. Sed mutationem vident, & sciunt, circumstantias tamen nesciunt.

## C C L X X V.

6. Similia. Si quis in foveam inciderit, tunc haud credes eum in foveâ esse, quem tamen ibi esse vides, nisi prius intelligas, à quo & quando in foveam fuerit coniectus? Si quis aliquem offendat in viâ vulneratum, aut in solitudine errantem, num hoc minimè credendum, nisi singule demonstrantur circumstantia? Meretrix nominatur, quæcumq; extra legitimum conjugium concepit & peperit, licet quando, & ubi, & à quo oppressa fuerit, ignoretur. Pari modo cum videamus regimen Ecclesiasticum in Romanâ synagogâ prorsus variatum, summamq; Romanorum Pontificum tyrannidem deprehendamus, de factâ immutatione dubitare nec possumus, nec debemus, quantumvis tempus & authorem primum nominare haud valeamus.

## C C L X X V I.

Ob has igitur multasq; rationes & similitudines alias, distinguendum puto inter mutationem lentam & subitanam: illa occultè, hæc aperte fit; illa à multis, ex ignorantia & incuria causatur, hæc à nonnullis duntaxat, ex malitia & odio introducitur. Quando igitur religio variatur subito, & impugnatur à nonnullis membris hæreticis, tunc equidem circumstantia loci, temporisq; plerumq; notari possunt, quandoquidem

L §

aperte

## DISCURSUS THEOLOGICUS

apertè sit recessus ab Ecclesiâ, statim resistentibus aliis piis & orthodoxis pastoribus. Quando autem ipsum corpus Ecclesie totum pedetentim labascit, ipsiq; Episcopi dormiunt, & ex incuriâ nunc hunc, nunc alium ab usum permittunt, atq; sic immutatio non statim, sed paulatim contingit: Ibi tum, puritatis antiquæ fieri inclinationem, homines haud ita observant, donec accreverit malum, & se in summo constitutos periculo viderint, ubi ipsi mirantur, & velut erecto capite obstupescunt, nescientes, quando, à quo, quibusve mediis in tantam calamitatem pervenerint.

### C C L X X V I I

Do appositum simile à morbis humani corporis, qui in duplici sunt differentiâ. Quidam enim manifesti sunt & subitanei, quorum notari potest tum causa, tum tempus, quo primùm nos infestare cœperunt: quidam autem lenti sunt, ut pthysis, hydrops, & similes, quorum initia sunt, tenuia, & à nobis primùm vix sentiuntur, aut certè non observantur: post autem cum de die in diem magis magisq;, ob nostram fortè incuriam & intemperantiam, accrescit morbus, & tandem totum corpus inficit; ibi quidem nostram agritudinem sentimus, Medico tamen præcisè indicare non possumus, quo primùm tempore morbus incœperit, vel per quid eundem causati simus, quoniam occulta habuit initia, & tarda incrementa.

### C C L X X V I I I

Eadem prorsus ratione comparatum est cum Ecclesia, mystico isto & spirituali corpore. Non omnes morbi & defectus eius sunt subitanei & extemporanei, ut vel ipsi, vel ipsorum circumstantiæ notentur: sed multi sunt lenti & primùm exigui, post autem semper magis magisq; serpunt, donec tandem universa Ecclesia inficiatur.

### C C L X X I X

Et tali quoq; modo primatus iste Papalis in ovile Domini introductus fuit. Malum enim hoc non simul & semel, non statim, sed paulatim cœpit: parva omninò habuit initia, ad quæ connivebant dormientes homines, tantam futura cladis magnitudinem non suspicati. Primùm enim, ordinis primatu, Episcopis Romanis, ob celebritatem urbis, & antiquæ fidei puritatem concessa, sequentes semper ampliorem & sublimiorem affectabant dignitatem: & licet sæpè reprimerentur, tamen non desistebant ab ambitione, sed partim largitionibus corrumpabant prudentiores, partim dolis circumveniebant simplices, partim minis terrebant infirmiores, ut de die in diem majora semper potestatis acciperent incrementa, donec effectum, ut universalis presidentia in omnibus Ecclesiasticis negotiis,



gotiis, ab Imperatoribus Romanis ipsis permitteretur, tituloq; æcumenicorum Episcoporum ornarentur.

## CCXC.

Post autem, non contenti hoc, etiam temporalem appetebant potestatem, sub specioso isto nomine, quò latus de rebus & controversiis Ecclesiasticis sententias eò feliciter exequi possent: quod ipsum etiam ex parte primum impetrarunt. Sequentes autem semper plura ad se rapuerunt, liberalitate Magnatum abusi, quo pacto ipsi longius progressi, crescente habendi cupidine, intestina inter Reges Principesq; bella excitarunt, ut fractis regnorum viribus, eò melius ipsos subjungere sibi possent, quo etiam medio, adhibitis unà aliis technis & fraudibus, tandem obtinuerunt, ut non ipsi amplius Imperatoribus, sed, inverso ordine, Imperatores ipsis subiecti essent, atq; sic Episcopi Romani plenum & in Ecclesia, & in politica Romana dominatum acquirerent & usurparent: qui cum ad hæc iam devenisset, & in Ecclesia pro lubitu agerentur omnia, varijq; caderentur articuli novi, ad pecuniam totius orbis Christiani corradendam, ibi tandem cum dolore summo suam persensit Ecclesia Dominæ agritudinem, ita, ut Christiani obstupescerent, & se Antichristianos factos, tantoq; Tyranno subiectos esse plurimum mirarentur.

## CCXCI.

His ergò ita se habentibus, postulatum certè impudens est Jesuitarum, dum semper Stentoreis clamoribus, & prolixis declamationibus urgent, ut nominemus tempus defectionis, indicemus Pontificem primum, qui dominatum rapuerit, significemus modum, quo Ecclesia decepta sit, & que alia sunt absurda hujusmodi αἰτιῶα. Etenim si subito, & uno tempore, & ab uno, & observante Ecclesiâ, facta fuisset mutatio, tum postulantes Jesuitis, ad quæ sita ista respondere, & possemus, & deberemus: quia verò lenta fuit ista degeneratio, nec uno tempore, nec ab uno, nec vigilantibus hominibus introducta, pro insanis certè habendi meritò sunt omnes ii, qui præcisum temporis punctum adeò imperiosè ex nobis sciscitantur, & scire desiderant.

## CCXCII.

Similes igitur mihi videntur Jesuitæ istis ineptis disputatoribus, tempore Augustini, qui sollicitè & ab omnibus quærebant, locisq; in omnibus urgebant, quando, & quo modo, & quo medio, natura hominis peccato originali inficiatur? quæ labis istius causa sit? Num Deus, num Diab-

Diab-

## DISCURSUS THEOLOGICUS

*Diabolus, num parentes, vel aliud quid? &c. Quorum petulantiam & insaniam scitè castigavit B. Augustinus, Epist. 28. ad Hieronymum, ita scribens: Eleganter dictum esse narratur, quod huic rei satis aptè convenit. Cùm quidam ruisset in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet, ne moreretur, quàm suffocaret, ne loqueretur: accessit alius, & eo viso, admirans, ait, Quomodo huc cecidisti? At ille, Obsecro, inquit, cogita, quomodo hinc me liberares, ne dum quæris, quomodo huc ceciderim, suffocer limo. Ita quid opus est, anxie disputare, quando, quo auctore, quòve modo facta sit regiminis Ecclesiastici inflexio, & in pejorem statum mutatio? Cogitandum potius, quâ ratione malo isti remedium adhiberi, & diuturna Ecclesie vulnera sanari queant, ne illa planè collabascant, vel in deterius ruat, dum intempestiva circumstantiarum inquisitione occupati sumus.*

### CCXCIII.

*Quoniam tamen Jesuita disceptantes orthodoxorum Theologorum sententias semper objiciunt, propterea ut & istæ concilientur, & omnis conquerendi ansa Papicolis præripiatur, paucissima de origine, successu & continuatione primatus Romani addam, notaturus summa duntaxat capita, ad quæ studiosus lector omnia, quæ hinc inde in historiis fusè occurrunt, referre facile poterit. Quinque autem ætates, vel periodos, Romani primatus constituo; in quarum primâ eum eff:ctatum, in secundâ inchoatum in tertiâ amplificatum in quartâ consummatum, & deniq; in quintâ revelatum dico, de quibus ordine & breviter.*

### CCXCIV.

*Ætatem affectati primatus eam voco, cùm Episcopi Romani ex annata quadam ambitione, ob celebritatem urbis Romæ, aliasq; quasdam prerogativas extrinsecas, illis proprias & peculiare, nonnihil insollescere, & super Ecclesias alias, Episcopatu Romano non subiectas, inspectionem sibi sumere inciperent, à fide tamen non omnino, vel non adeò crassè deficerent. Quoniam verò tum pi, doctiq; viri, Apostolicæ praxew, & regiminis, in primitiva Ecclesia usurpati, benè gnari & futura primatus incommoda prævidentes, Episcopis Romanis sese opposuerunt, & ut intra suæ dioceseos cancellos sese continerent, graviter admonuerunt, hinc factum, ut primatus tum temporis quidem fuerit affectatus, non tamen acquisitus & inchoatus.*

### CCXCV.

*Primus autem Episcoporum, dominatum affectantium, in Ecclesiasti-*

*clesti-*

ecclesiasticâ historiâ nominatur Papa Victor, in ordine decimus quintus, juxta supputationem Papisticam. Illius enim tempore valdè agitabatur controversia ista de celebratione Paschatis, quâ in ceremoniâ Græcæ, Latineq; Ecclesiæ dissentiebant. Cùm ergò sententiam Latinorum, Græci nec approbare, nec recipere vellent, Victor ille, jurisdictionem præter jus rapiens & sibi arrogans, universas Ecclesias Græcas damnavit, & à communionem rescidit. Quam ipsius excommunicationem, veluti temerariam & incompetentem, non saltem Græci non curârunt, sed & multi Episcopi Latini indignè tulerunt, ideoq; Episcopum Victorem acerbè objurgârunt, jubentes, ut magis quæ pacis sunt ageret, & concordie atq; unanimitati studeret, quorum epistolas suo tempore extitisse testatur Eusebius l. 5. c. 24. Irenæus quoq; etiamsi cum Victore sentiret, tamen minime molliter eum reprehendit, uti l. d. fusè describit Eusebius. Factum hoc circa annum Christi 191. annotantibus Theologis Magdeburgensibus. centur. 2. c. 8. col. 154.

## CCXCVI.

Et hoc fuit primum Ecclesiæ tentamen, fortiter tamen repressum, & à Græcis, Victorem illum pro Episcopo suo non agnoscentibus, & à Latinis, factum istud non approbantibus. Sequenti verò seculo idem tentatum fuit à Stephano I. qui excommunicationem Heleno & Firmiliano, & cunctis per Ciliciam, & Cappadociam, & Galatiam, & universis conterminis gentibus minatus est, propterea quòd hereticos rebaptizarent. Verùm is conatus non placuit Dionysio Alexandrino, & aliis piis doctoribus, ut patet ex Dionysii epistolâ ad Xystum, cujus fragmentum recitat Eusebius l. 7. c. 7.

## CCXCVII.

Recensent etiam Magdeburgenses centur. 3. cap. 7. col. 168. & 169. quòd Episcopi Romani presbyteros, in aliis terris justè excommunicatos, ad sese invitârunt, cum iis communicaverint, & causâ non satis benè cognitâ, alterâ parte non auditâ, pro ipsis interpellaverint. Sed cùm Cyprianus & alii subolfacerent, quòres ista tandem exitura esset, statutum est ab omnibus Episcopis singularum provinciarum, æquum & iustum esse, ut uniuscuiusque causa illic audiatur, ubi esset admissum crimen; & cùm singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, non oportere eos, qui sub uno aliquo sint Episcopo, circum-

M

cursare

## DISCURRUS THEOLOGICUS.

curfare ad alium, præsertim, cum omnium, in singulis provinciis Episcoporum, eadem sit autoritas.

### C C X C V I I I.

*Sequenti quoque seculo quarto, à multis intentus fuit primatus, non tamen obtentus. Quam enim Pontificii jaçant donationem Constantini M. ea omninò fictitia, falsa & commentitia est, dudum à Laurentio Val-la, & Francisco Hottomanno in Fulmine bruto satis masculè refuta-tata. Ipse Cardinalis Cusanus l. 3. de Concord. Cathol. c. 2. fatetur, in ipsâ scripturâ se reperisse manifesta argumenta confictionis & falsi-tatis. Imò si Pontifices ab Imperatore Constantino suam acceperunt pote-statem, quomodo illam juris divini esse, porro obtinebunt? Et quid glori-antur super istâ donatione? cum ipsi Pontificales historici scribant, au-ditam fuisse eo tempore vocem spirituum, in aère dicentium: Hodie ve-nenum effusum est in Ecclesiam, citante Wolfio, tom. 1. Lektion. memorabil. Centen. 4 p. 99.*

### C C X C I X.

*Equidem Episcopum Romanum à Constantino, utpote pientissimo Imperatore, multis ornamentis fuisse decoratum, opibusque auctum, ut & Episcopos alios, non diffitemur: tam multa verò dedisse, primatumque uni-versalem concessisse, falsissimum est, cum istum titulum Bonifacius de-mum à parricida Phoca emendicaverit, uti mox dicetur. Istud verò inter alia etiam, propter nimiam Episcoporum venerationem, permisit Imperator Constantinus, ut à judiciis civilibus ad Episcopos appellare li-ceret, ipsorumque decisiones haberentur ratae, & ad effectum per præfectos Cesareos perducerentur, teste Sozom. l. 1. cap. 7. Quæ certè concessio postmodum ansam præbuit Episcopis Romanis, ut regnum Christi in-politicum transformarent, & supra Magistratum legitimum sese paula-tim efferrent. Erat autem hæc dignitas politica multis Episcopis com-munis, nec solis Romanis propria, quod iudicium est, sat firmum, eo tem-pore Pontificatum in Ecclesiam nondum irrepisse.*

### C C C.

*Hinc ipse Pius II. seu Aeneas Sylvius Epistolâ 301. scribit: Ante Ni-cænam Synodum unusquisque sibi vivebat, & parvus respectus ad Ecclesiam Romanam habebatur. Convocatum autem est Concilium Nicænum anno Christi 320. juxta Magdeburg. Centur. 4. cap. 9. col. 417. In eo sancitum fuit, ut singularum provinciarum una Ecclesia, & u-nus aliquis Episcopus primus haberetur, qui super omnes ejus pro-*  
vinciæ

vincia Episcopus inspectionem haberet, quò omnia commodius administrari possent. Factus est ergò Romanus Episcopus Primus suburbanarum seu circumjacentium Ecclesiarum, Carthaginensis Africanarum, Constantinopolitanus græcarum &c. *Hi postmodum dicti sunt Metropolitani, primates, Patriarchæ & Archiepiscopi: nonnulli tamen Patriarchas & Archiepiscos Metropolitanis præfectos putant. Se verò invicem Papas & Patres nominabant.*

## C C C I.

*Non autem plus potestatis aut jurisdictionis concessum fuit Romano Metropolitano, quàm aliis, sed duntaxat prærogativam & primatum ordinis habuit, quoniam Roma, cujus erat Episcopus, in toto orbe Christiano, ob imperii sedem, & Apostolorum Petri, Pauli q̄, venerationem erat celeberrima. Hinc Africani Episcopi, cum Metropolitanas Ecclesias in primas, secundas, tertias, & sic deinceps, sedes distinxissent, & tamen periculum esset, ne is, cui primus concederetur locus, Monarchiam aliquam affectaret, in Synodo Carthagin. Tertiâ talem posuerunt canonem, numero 26. citatum dist 99. Primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid aliud hujusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus. Universalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur.*

## C C C II.

*Erat verò ista Metropolitanorum ordinatio, pio quidem consilio instituta, sed postmodum magnis in Ecclesiâ dissidiis & contentionibus de primatu ansam præbuit, ut ita optimè cogitata pessimè ceciderint. Nam cum Episcopi Romani viderent, se ab omnibus observari & ordine primos esse inter Metropolitanos, non contenti primatu ordinis, affectabant etiam primatum jurisdictionis. Tentatum hoc potissimum fuit sequenti seculo circa annum Domini 420. à Zozimo, Bonifacio & Cœlestino, qui à Concilio Carthag. VI. primatum fraudulenter extorquere voluerunt, cui Concilio interfuit Augustinus, aliq̄, multi Episcopi num. 217. Misit enim Zozimus ad Patres istius Concilii Faustinum, Episcopum Potentinum, cum duobus Romane Ecclesie presbyteris, qui postularent, ut Episcopis Africanis liceret à sententiâ Metropolitanorum aut etiam Synodi appellare ad sedem Romanam, sibiq̄ legatos à latere in Africam mittere concederetur, qui causas appellantium ad sedem Romanam ibi cognoscerent. Et ut Patribus Concilii facilius istud persuaderet, jus hoc in Concilio Nicano sibi attributum, gloriatus est. Inquisiverunt*

M 2

Patres

## DISCURSUS THEOLOGICUS

Patres diligenter in ipsa αὐτογράφῃ canonum; & cū tale quid Episcopo Romano concessum nullibi reperirent, scripserunt ad Bonifacium, Zozimi successorem, & postea Cælestinum, eosq; taxant, quòd injusta peterent, & monent, ne καπνὸς τῆς αἰῶνος τῆς κόσμου fumosum seculi factum, in Ecclesiam Dei inducant, prohibentq; ne quis ex Africā ad Pontificem Romanum porrò appellaret.

### C C C I I I.

Quā in historiā tria diligentissimè sunt observanda, 1. Zozimum non prætendisse suo primatui jus divinum aut Scripturam, ut nunc fit, nec etiam citasse consuetudinem, quòd jam per 400. annos ea Ecclesia super alias primatum tenuerit, sed tantum jus humanum, id est, decreta Nicæna. Ex quo apparet nondum moris fuisse, ut Papa exteris imperaret, id eoq; longi temporis præscriptionem citare non potuisse. 2. magnam fuisse Papæ tum ambitionem, tum impietatem & impudentiam, quòd ausus fuerit Nicæne Synodi canones tam nefariè falsare, idq; scribens ad tantum Concilium, cui Augustinus ipse, cum multis doctissimis Episcopis interfuit: quæ duo fusè exaggerat Flacius in historiā primatus, annexā refutationi invecivæ Bruni.

### C C C I V.

3. Patres illius Concilii non consensisse in ambitionem Romanorum Episcoporum, iisq; universalem Pontificatum non concessisse, sed denegasse, ex quo ita infero: Si Romani Episcopi jure divino primatū obtinerent, tum Augustinus, aliiq; Episcopi Ecclesia præcipui, errassent in articulo fidei fundamentalis, omnisq; Scripturæ fuissent ignari, quandoquidem primatum illum non approbârunt, sed prohibuerunt. Hoc autem posterius cū sit absurdum, prius illud, ex quo sequitur, falsissimum esse oportet. Et quicquid tandem exceperint Pontificii, semper tamen manebit hoc, primatum quidem fuisse affectatum à tribus istis Romanis Episcopis, sed à Concilio Carthaginensi, cui 217. Episcopi interfuerunt, esse improbatum & repressum, unde quid Ecclesia istius seculi de Pontificatu Romano statuerit, haud obscure colligitur.

### C C C V.

Notandum quoq; est, quòd Concilia his seculis frequenter celebrata, non ab Episcopis, sed Imperatoribus Romanis sint convocata, quòd ipsum primatus nondum concessi argumentum est. Potestas presidendi in Synodis non erat unicè penes Episcopum Romanum, aut penes alium certæ provincie Metropolitanum, sed vel is, in cuius provinciā congregatum erat.

erat Concilium, vel qui doctrinâ & authoritate excellere præ aliis, vel qui ab Imperatore, aut communi aliorum Episcoporum sententiâ esset ad id munus delectus, probantibus hoc Theol. Magdeburg. cent. 4. c. 7. col. 536. & cent. 5. c. 9.

## C C C V I.

Et hæcenus de affectato, sed non obtento primatu dictum est: sequitur ætas secunda, primatus inchoati, quæ ad seculum quintum refero, annū tamen præcisè non nomino. Etenim mysterium iniquitatis in hoc seculo pedetentim cœpit serpere, & multa rapti primatus specimina edere. Episcopi enim Romani sedem suā jactitantes multaq; gloriosè de cathedrâ Petri, ex opinione vulgi, spargentes, postulabant ab Archiepiscopis & Patriarchis aliis, ut si quid incidisset, quod deliberatione opus haberet, ad se referrent. Hoc cum fieret, & consilia ipsorum, non tanquã Dominorū, sed veluti, fratrum & cœpiscoporū peterentur, ibi rem aliter interpretantes, laudârunt Episcopos, quod ad sedem Apostolicam, tanquam primam Ecclesiam omnia deferrent, se paratos esse, & promptos pro sollicitudine, quam erga universas Ecclesias ex officio habeant, suis & monitis & præceptis succurrere: atq; ita multis opinionem istam de primatu Romano tacitè instillabant.

## C C C V I I.

Porro & istud juris sibi arrogabant, ut si quid ab aliis Episcopis minus rectè fieri cognovissent, eos arguerent, & quid faciendum esset, præscriberent, legesquæ de ceremoniis quibusdam dictarent. Largiebantur Primatibus & Archiepiscopis privilegia, titulos splendidos, & insignia, ut eos paulatim suos facerent. Vsurpabant sibi potestatem confirmandi alios in Episcopatu, & mandandi, ut in dissitis Ecclesiis, quem ipsi vellent & proponerent, Episcopus ordinaretur. Et quia hæretici, in Synodis damnati, apud Episcopos Romanos, utpote ambitiosos & appellantis multum faventes, sæpè querebant præsidium, exinde paulatim jus constituerunt, postulantes, ut in Episcoporum causis ad sedem Romanam appellari liceret. Hinc Sixtus Epist. 3. ad orientales c. 5. citantibus Magdeb. cent. 5. Col. 778. decernit, ut contra Episcopum ad sedem Apostolicam appellantem, nihil aliud statuatur, quàm Episcopus Romanus censuerit.

## C C C V I I I.

Quo fundamento jacto, porro rapiebant potestatem citandi alios ad dicendam coram sese causam, & mittendi legatos ad remotas provincias, qui causas cognoscerent, & ad nutum suum deciderent. Quin etiam conati sunt sibi super Archiepiscopos vendicare authoritatē, ut si quid illi agerent, pro arbitrio Romani Episcopi egisse viderentur, ac si servi &

M 3

mancipias

## DISCŪRSŪS THEOLOGICŪS

*mancipia eius essent. Generalia concilia indicebant, Synodos sine suâ auctoritate convocatas ut illegitimas reiciebant, exequendi & presidendi ius sibi rapiebant, idq; hac ratione, ut ad eos, quos iussu Imperatoris praesides fore noverant, initio scriberent, & rogarent, ut suo loco praessent.*

### C C C I X.

Nondum tamen ad summum potuerunt fastigium potestatis ascendere, eò quòd multi viri pii conatibus istorum resisterent, & Pontifices Imperatoribus adhuc subjecti essent. Quin & ipsi Episcopi Romani hoc seculo humilitatem adhuc simulârunt & ab ambitione primatus alienos se esse verbis indicârunt. Cùm enim in Synodo Chalcedonensi Anatholius, Archeipiscopus Constantinopolitanus sibi subicere vellet orientales Ecclesias, ob concessionem Synodi Constantinopolitanæ; Leo I. statim repugnavit, clamitans, Nicænam Synodum constituisse per singulas provincias Metropolitanos, quibus omnes alii subjecti essent, & nullus planè imperaret, nisi vel Synodi provinciales, vel universales. Pro his vitam se profusurum ait, & non passurum, ut quis Metropolitanos sibi subjiciat. Neminem enim debere in Ecclesia Dei imperandi cupiditate, & aliorum Episcoporum oppressione potentiam quaerere, referente Flacio in *histor primatus*, p. 212.

### C C C X.

*Verùm pleriq; putant meras fuisse fraudes, eò quòd legati huius Leonis, Canonis Nicæno, recitando in Chalcedonensi synodo, talem praeponerunt titulum: Quòd Romanus Episcopus semper primatum habuerit, cùm tamen contrarium ipsa canonis verba doceant. Sequenti etiam tempore, Anatholio quiescente, hic ipse Leo Orientales & Africanas Ecclesias tentavit, sibiq; subicere voluit, sed non omninò potuit.*

### C C C X I.

Seculo autem sequenti sexto, Bonifacius II. feliciori successu id ipsum aggressus est, dum Eulalio, Carthaginensi Metropolitano, aliisque Africanis consensum in Monarchiam & damnationem VI. Carth. Synodi extorsit: ubi Bonifacius vel Malefacius iste de B. Aurelio Augustino, totoq; Concilio scribere non erubuit: Aurelius præfatæ Carthaginensis Ecclesiæ olim Episcopus, cum collegis suis, instigante diabolo superbire temporibus prædecessorum nostrorum Bonifacii & Cœlestini contra Sanctam Romanam Ecclesiam cepit.



## C C C X I I.

Neque tamen & tunc tyrannidem suam plenè obtinuerunt Episcopi Romani, quando quidem nec Eulalius absolutam potestatem concessit, nec Constantinopolitani Patriarchæ quieverunt, qui & sibi œcumenici Episcopi nomen rapiabant. Ortæ enim sunt eo tempore funestæ concertationes super præclaro isto Antichristi Palladio, primatu nempe & Episcopatu universalis, inter Ecclesias Orientales græcas, & Occidentales latinas: ubi tamen DEUS duos pios humilesq; Episcopos Rômæ excitavit, nempe Pelagium II. & Gregorium M. qui primatus ampliandi nullam susceperunt curam, sed potius graviter reprehenderunt Constantinopolitanos, quòd adeò ambitiosi essent, & universalem præfecturam sibi raperent, referente Carolo Molinæo, in commentar. contra parvas datas & abusus curiæ Romanæ, p. 222.

## C C C X I I I.

Gregorius certè Magnus universalis Episcopi titulum dixit esse nomen novum l. 4. Epi. 32. sacilestum, Epist. 39. nomen erroris. Epist. 38. nomen blasphemix, Epist. 39. ubi addit, nullum unquam bonum eiusmodi titulis usum esse, cumq; qui se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione suâ Antichristum præcurrere. Verùm non consenserunt cum Gregorio sequentes Episcopi, quippe qui titulum istum usq; adeò non retractarunt, ut potius omnibus modis affectarint, eoque ipso se non Antichristi præcursores, sed Antichristum ipsum esse, satis superq; ostenderint.

## C C C X I V.

Post mortem verò Gregorii incæpit tertia ætas, quam primatus amplificati esse dixi, sub Episcopatu præsertim Bonifacii III. Cui enim utrinq; de primatu pugnaretur, & Constantinopolitani prætenderent, arcem religionis debere ibi esse, ubi sit arx imperii; Romani autem exiperent, Constantinopolin esse tantum coloniam ex Roma deductam, addentes nonnulla de Petro ac Paulo: tandem Bonifacius III. obtinuit à Phoca, tyranno & parricida, qui Dominum suum, Imperatorem Maurium occiderat crudelissimè, & ad imperium per proditionem ac perjurium ascenderat, ut Episcopus Romanus esset caput omnium Episcoporum, ac Episcopus œcumenicus sive universalis diceretur. Quod quidem Phocas eò facilius concessit, ut parricidium à Bonifacio citius approbaretur, & odium aliorum, ob perjurium, istud conceptum, melius declinaret. Historiam hanc fuse descriptam videbis apud Madeburg. Cent. 7. c. 7. col. 226, 227.

315 Atq;

DISCURSUS THEOLOGICUS  
C C C X V.

Atq; ita nunc evidenter apparet, quomodo Episcopi Romani Ecclesiã nihil mali suspicante, per gradus ad istam Monarchicam tyrannidem ascenderint, dum primo tempore saltem erant presbyteri post Episcopum, tum Metropolitanum, deinde Archiepiscopi vel Patriarcha, & tandem Pontifices vel tyranni summi & maximi.

C C C X V I.

Media verò, quibus intervenientibus ad hoc Monarchiæ fastigium pervenerunt, in duplici sunt differentiã. Quaedam indirecta, quedam directa voco. Indirectorum septem numero. 1. Erat urbis Romæ majestas. Quoniã n. illa sedes erat imperii, & domina omnium civitatum, totumq; mundum sibi subjugaverat, ideò etiam plus honoris & dignitatis concedebatur Episcopis Romanis: quam nemo quoq; invidisset, nisi turpiter eã abusi fuissent. 2. Ecclesiæ Romanæ celebritas. Quoniã n. ab Apostolis erat plantata, fidesq; ejus in universo orbe commẽdata, & per multos persecutionum ætus, sub decem Imperatoribus probata, hinc factum, ut & postmodum ad eam respectus esset præ aliis major, quo abutentes Episcopi semper ad altiora aspirarunt. 3. Petri Paulique veneratio. Vulgata fuit fama & opinio, Petrum Romæ predicasse, & Ecclesiam gubernasse: accessit Pauli martyrium, quo Ecclesia ista honorata fuit, & in toto orbe celebrata. Quia igitur Episcopi Romani summis istis Apostolis succedere putabantur, propterea iis prerogativa, & primatus ordinis præ ceteris delatus fuit. 4. Metropolitanorum & Archiepiscoporum institutio. Nã cum inter ipsos primus esset Episcopus Romanus, sumisit inde occasionem, ceteros etiam Episcopos ac Metropolitanos sibi subjiciendi, atq; ita toti cecumenicæ Ecclesiæ dominandi.

C C C X V I I.

5. Immoderata adulatorum laudatio. Multi enim erant, qui ab aliis Metropolitanis excommunicati, ut sibi favorem Romani Primatis conciliarent, nimis eum evehebant laudibus, nimirũ, quòd esset caput Ecclesiæ, & generalis Pastor, ideoq; licere sibi ad illũ provocare & appellare. Quod ipsum faciebant & alii, vel opimo Episcopatu inhiantes, vel alia premia ob id expectantes: quibus elogiis ille semper magis magisq; fuit elatus, & de ampliandã jurisdictione indies cogitavit. 6. Nimia Magnatum munificentia. Sape enim cum ad fidem Christianam conversi sunt Principes, aliive viri potentes, gratitudinis ergò Romano Episcopo, tanquam primo in Ecclesiã, non saltem magnam  
auri

auri & argenti vim, sed etiam prædia, arces, urbesq; multas, cum omnibus redditibus & censibus annuis, liberaliter donârunt, ut innumeris exemplis probari posset; quo factum, ut ille semper magis insolesceret, viresq; majores pedetentim acquireret. Hinc ad Pontificem Hadrianum IV. scripsit Poëta:

————— Romanus tempore præfisco  
Pauper erat Præsul: regali munere crevit.

C C C X V I I I.

7. Intempestiva Episcoporum & Imperatorum Indulgentia. Debuissent enim illi se opponere ambitiosis Episcopis Romanis, & de jure ac jurisdictione suâ nihil remittere, primatumq; omni opere, & operâ inhibere: verum Episcopi ipsos noluerunt offendere, Imperatores nihil mali sunt suspicati, ideoq; ex piâ affectione concesserunt iis sæpè, ut in Synodis præsiderent, decreta confirmarent, ortasq; controversias deciderent. Hæc certè permissio & conniventia, præsertim cum abusus accederet, non minima fuit causa primatus & fastus Romanorum Episcoporum.

C C C X I X.

Atq; hæc indirecta fuerunt media: directorum sunt potissimum duo: fraudulentia & violentia, vel conjunctim, violenta fraudulentia, & fraudulenter violentia. Quicquid enim egerunt & susceperunt Pontifices, pro stabiliendo primatu, id ferè omne fraudulentum fuit, sicuti Nicænorum canonum falsatio; technarum Papalium exemplum est manifestissimum. Quod verò fraude exequi non poterant, id vi & minis tentabant; vel si vires suas inferiores putarent, Imperatoribus adulabantur, & ipsorum subsidia emendicabant, uti Bonifacius III. fecit. Hæc ergo sunt media illa præclara, quibus Episcopi Romani primatum suum, quinto seculo inchoatum, cum magno proh dolor. Ecclesiæ malo & detrimento ampliârunt & egregiè adauxerunt.

C C C X X.

Neque tamen statim perfectum fuit mysterium iniquitatis, quandoquidem plenitudine temporalis potestatis, septimo adhuc seculo, destituebantur Pontifices, & Imperatoribus parere cogebantur, à quibus etiam usq; ad Benedictum II. qui electus Anno Christi 684. in Pontificatu confirmatus sunt. Isti verò Benedicto hoc privilegium concessit Imperator Constantinus Pogonatus, uti vocatur à Magdeburg. cent. 7. col. 235. ut sine Imperatore crearetur, cum antea semper manibus Cesarum creati & inaugurati essent. Sequentibus verò seculis nihilominus

N

Impera-

## DISCURSUS THEOLOGICUS

Imperatoribus subiecti erant, nec super eos potestatem habebant aut exercere poterant: quod jus longo quoque tempore Caesaribus Germanicis inviolatum permansit, licet Papa sepius cervicem suam contra eos exercere conarentur.

C C C X X I.

Demum verò tempore Henrici IV. Imperatoris Romani, summam, diuque expetitam in temporalibus potestatem sibi rapuerunt, quod factum sub finem undecimi & initium duodecimi, post Christum natum, seculi. Eo igitur tempore coepit quarta ætas, quam primatus consummati esse dixi, propterea quòd tum Pontifices Romani plenitudinem potestatis, non saltem in spiritualibus, sed etiam secularibus, vi & fraude usurpaverint, & super Imperatores Regesque terra semetipsos exerint. Factum hujus tyrannidis initium à Pontifice Gregorio VII. qui communiter Hildebrandus vocatur.

C C C X X I I.

Hic enim Henricum IV. Imperatorem, eò quòd in omnibus parere recusaret, excommunicavit, omnesque Imperatoris subditos à juramento obedientiæ absolvit, Anno Christi 1076. referente Osiandro cent. II. l. 4. c. 1. Quo Pontificia excommunicationis fulmine plurimum Germanorum Principum animi ab Imperatore abalienati sunt, nec solum obedientiam detrectarunt, sed ut dignitate suà penitus exueretur, creberrimè tractarunt, donec tandem consentientibus legatis Pontificiis, in oppido Forchheim, Rudolphum, Suevorum Ducem, Imperatori Henrico substituerent, & ab Archiepiscopo Moguntino coronari curarent. Rudolpho isti Papa coronam per legatos misit, hoc Pontificio versu exornatam: Petra dedit Petro; Petrus Diadema Rudolpho.

C C C X X I I I.

Qualis verò bestia fuerit Hildebrandus iste, ex historiis constat, & Henricus IV. in epist. quadam laudes eius sic commemorat: Dominus noster Jesus Christus nos ad regnum, te autem non vocavit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti; astutitiâ pecuniam, pecuniâ favorem, favore ferrum, ferro sedem pacis adiisti, & de sede sedem pacis turbasti. Rulandus Parisiensis sacerdos Romæ astantibus Episcopis, dixit: Iste Hildebrandus neque pastor, neque pater, neque Pontifex est: sed fur est, lupus, latro atque tyrannus. Hic enim primus edixit, ne quisquam vel Rex, vel Archiepiscopus, vel cuiusvis conditionis homo, Papæ legatis resistere auderet: primus precepit, ne quis Episcopatum, vel aliud beneficium Ecclesiasticum à Laico acciperet: primus usurpavit sum-

73A72

*nam jurisdictionem temporalem; sibiq̄ datam potestatem, imperia & regna, & quicquid mortales habent, auferre & conferre cui voluerit, & verbis, & armis, asseruit; referente Carol. Molinzo in Comment. contra parvas datas p. 262. & seqq.*

## C C C X X I V.

*Cum autem iam electus esset Rudolphus, multa commissa sunt praelia inter utrumq̄, Imperatorem, multumq̄, Christiani sanguinis fusus est, auctore Papa & Episcopis, donec tandem in conflictu Rudolphus manum, & non longè post vitam amitteret. Licet verò deposito Hildebrando, & substituto Clemente III. Episcopo Ravennatensi, Henricus IV. imperio vicissim potitus fuerit: tamen paulò post à Papâ Paschali II. imperiali dignitate vicissim exutus, & miserè depositus est, circa annum 1106.*

## C C C X X V.

*Fuit enim eo tempore celebrata Synodus Moguntia, è qua exclusus Imperator, iussus est in Ingelheim expectare, ne forte multorum animi, aspectu Imperatoris, propter personam senilis & gravis majestatem, permoverentur. Interim verò Legati Pontificii fulmen excommunicationis in Imperatorem, nondum legitimè depositum, nec auditum, nec vocatum promulgant. Mittuntur ad Cæsarem Moguntinus, Colonienfis & Wormatiensis Episcopi, qui ab Henrico peterent, ut insignia Imperij volens traderet. Quod cum recusasset, Episcopi ipsi coronam Imperatori de capite detrahunt, & sede detractam, omnibus Imperialibus ornamentis exuunt, & imperium Henrico V. filio, volente & jubente Papâ, deferunt. Ita ergò tum Pontifex Romanus excussit jugum Imperatorum, eosq̄, sibi subiecit, & pro nutu obtemperare fecit. Licet verò nonnunquam resisterent Cæsares, bestia tamen illa superior tandem evasit, omnesq̄, sibi reluctantes suppressit & excommunicavit. Notum est, quomodo Papa Alexander III. Imperatorem Fridericum I. cognomento Barbarossam, Venetiis miserè tractaverit, collum eius conculcando, istudq̄, Psalmi dictum recitando: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & draconem. Cum autem Cæsar responderet, Non tibi, sed Petro: ibi Pontifex denuò conculcans collum Imperatoris, insolenter dixit: Et mihi, & Petro.*

## C C C X X V I.

*Eandem tyrannidē continuârunt etiam alii Papæ, decimo tertio seculo, & ex eis præsertim Greg. IX. qui Decretalium opus, à Reymundo Hispano congestū, publicavit, atq̄, ita leges Imperiales extrusit. Hic & ipse arma cepit contra Imp. Fridericum II. Suevia Ducem, & contra ipsum*

## DISCURSUS THEOLOGICUS

*populum Romanum, renovans & persequens bella, à suis antecessoribus, contra Imperium inchoata. Et ut victoriâ citius potiretur, falsos hinc inde sparsit rumores, nunc de calamitate, nunc de morte Imperatoris contra Saracenos, in Syriâ fortiter dimicantis, quem interea regnis & ditionibus spoliabat, corrumpens civitates imperij falsis rumoribus & censuris, milites pecuniâ, populumq; Romanum prestigiis & superstitione; quemadmodum Platina in eius vita, & latius Abbas Urspergensis testantur.*

C C C X X V I I.

*Illo autem, ut & Cœlestino IV. demortuo, successit Innocentius IV. Anno 1243. qui primùm Friderici II. amicus erat intimus, sed factus Pontifex, etiam factus est apertus Imperii inimicus. Hic enim judicialiter Imperatorem istum, tanquam subditum, citare ausus est, & in eum sententiam ferre privationis Imperij & regnorum. Quam ut exequeretur, omnes milites, & vasallos Imperiales sacramento de facto solvit, & per legatum, quem vocavit Apostolicum, Imperatorem ad Parmam debellavit, & Imperialibus ornamentis gazisque spoliatum, in Siciliam persecutus, non solùm Cardinalem, belli ducem, sed etiam Episcopos, Clericos, & Monachos ad illud, ut sacrum bellum, accitos, emisit armatos: & mox tanquam de subactio imperio triumphans, statuit, ut Cardinales sui equo phalerato in publicum vecti, rubro purpureoque galero & amiectu uterentur, quo videlicet ipse, tanquam summus Imperator, non solùm purpurato sed & phalerato Senatu circumdaretur. Et ab hoc potissimum tempore Pontifices, non saltem universale in Ecclesiâ dominium, sed etiam summam in temporalibus potestatem, cum subjectione Imperatorum, obtinuerunt, & sequentibus seculis tyrannicè exercuerunt.*

C C C X X V I I I.

*Cum ergò iam viderent, & summam dignitatem, & summam potestatem ad se devolutam, cogitârunt etiam de corradendis totius orbis opibus & thesauris, ad quem finem nihil magis conducibile viderunt, quàm nundinationes Indulgentiarum. Emiserunt ergò hinc inde suos institores, qui putidas istas, rancidasq; merces ubiq; venales exponerent, aurî argentiq; vim maximam cumulantes. Cùm vero isti emissarij nimis & incredibilibus sua mercimonia laudibus eveherent, & de remissione peccatorum nimis crasse loquerentur; DEUS ter Opt. Max. clementer misertus Ecclesiæ suæ, iam satis diu presse & quassate, excitavit Wittebergæ in Saxoniâ, Beatum Lutherum Anno Domini 1517. qui foribus templi Omnium Sanctorum contra Indulgentias theses eruditè scriptas affixit, & de iis publicè disputavit.*

*Atq;*

*Atque eo tempore cœpit quinta & ultima Pontificum ætas, quam primatus revelati nominavi, quandoquidem, & fraudes, et superstitiones Pontificia hoc postremo seculo revelata sunt adeò evidenter; ut à Romana Ecclesia, tanquam ipsius Antichristi synagoga secessionem fecerint plurimi, suisq; honor Deo, Ecclesie veritas, conscientis tranquillitas, & debita Regibus potestas, successum largiente Altissimo, feliciter restituta sit, & nos cum Angelo Apocalyptico ex cap. 14. v. 8. cap. 18. v. 2. & 20. letum istud Epinicion ingeminare queamus: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volueris immundæ & odibilis. Exulta super eam cœlum, & sancti Apostoli, & Prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illâ.*

CCCXX.

*Ex hac igitur historicâ narratione satis apparet, quomodo Pontificia Monarchia, vel Tyrannis in Ecclesiam sit introducta; quàm exigua habuerit initia, quàm tarda incrementa; quibus modis fuerit ampliata; & quàm subdolè, quibusq; fraudibus & diabolicis artibus fuerit perfecta & consummata: Id quod non duntaxat ad Jesuiticarum stropharum refutationem, sed veritatis etiam confirmationem multùm facere existimo, siquidem primis Papatus causis cognitis, nec antiquitate offendi, nec de Ecclesie Romanæ apostasiâ dubitare, nec à veritatis agnitione & confessione ulterius facilè dimoveri poterimus.*

*Questio Octava.*

**Num universalis Ecclesie gubernatio vel Pontifici Romano permitti, vel alii cuiquam, jure humano, deferri possit aut debeat?**

CCCXXI.

*Hactenus evidenter demonstratum fuit, quòd jure divino œcumenicus Episcopatus & primatus, super omnes Ecclesias, nulli concedi debeat, ideoq; Romani Episcopi præter jus & fas eundem rapuerint, & per multa secula malo titulo possederint: Nunc ulterius quaritur, Annon jure hu-*

N 3

mano

## DISCURSUS THEOLOGICUS

mano tale quid permitti queat, ob salutem Ecclesiae? praesertim hac ultima mundi senectate, ubi & haereses multa, & persecutiones crebrae, quibus omnibus per universalem Episcopum facilius & felicius resisti posse videtur.

CCCXXXII.

Et sane in conventu Smalcaldico fuit non nemo, qui affirmativam teneret, hac tamen cum conditione, si Evangelium admitteretur, & vera salutarisq; doctrina praesupponeretur. De Pontifice, habent verba, statuo, si Evangelium admitteret, posse ei, propter pacem & communem tranquillitatem Christianorum, qui jam sub ipso sunt, & in posterum sub ipso erunt, superioritatem in Episcopos, quam alioquin habet, jure humano etiam a nobis permitti.

CCCXXXIII.

Quae sententia quidem videtur plausibilis, si exaggerentur commoda, quae inde sequi videntur. Etenim si universale & aspeclabile haberemus caput, tum in officio suo melius continerentur Episcopi, maiorq; foret unitas & concordia omnium Ecclesiarum, quandoquidem & formula loquendi, & ceremonia omnes ab uno praescriberentur. Praeterea controversiarum decisio foret expeditior, siquidem summum istum Pontificem adire, & sententiam eius coram audire possemus. Heretici etiam, quamprimum vel mussitare inciperent, per vim & potentiam oecumenici istius Episcopi cohiberi possent, atq; sic optatae pacis & tranquillitati universa restitueretur Ecclesia.

CCCXXXIV.

Vt autem haec omnia valde plausibilia, & ad persuadendum accommodatissima sint; attamen negativa sententia longe & verior & tutior est, ideoq; Monarchicum Ecclesiae regimen, vel oecumenicum Episcopatum, neque etiam jure humano institui, permittiue posse aut debere statuimus.

CCCXXXV.

Vt enim thesin hanc nostram firmiter confirmemus, I. Monarchicum regimen Scripturis & juri divino est contrarium. Etenim supra quest. 5. fuse probatum dedimus, Christum Luc. 22. omnem prohibuisse primatum & dominatum in Ecclesia sicut in explicatione dicti istius, omnes orthodoxi fatentur Theologi. Jam vero jus humanum, velut inferius, nihil potest derogare divino, tanquam superiori. Igitur, si primatus omnis jure divino est prohibitus, tum jure humano concedi nunquam poterit, nisi constitutiones & sanctiones divinas immutare voluerimus.

336. II. Est



II. Est in Deum contumeliosum. Etenim legimus in sacris literis, quod Deus olim tulerit agerrimè, populum Israëliticum, petiisse Regem & Monarcham unum. Dicit enim se esse abjectum, ne regnet super eos, 1. Sam. 9. v. 7. Nam dum in suos visibiles Reges, eorumq; potentiam & sapientiam respiciebant, omnipotentis Dei obliviscebantur. Ita etiam, si in Ecclesiâ noluerimus contenti esse iudicibus, à Domino ordinatis, id est, legitimis pastoribus, sed expetamus unum Monarcham summum, annon conquerendi ansam habebit Servator Christus, quod illum abjecerimus, ne amplius sit nostrum caput, noster Rex, & summus Pontifex? Imò & homines à Christo abducentur, magisq; visibili isti Episcopo adherescent, sicuti in Papatu olim contigit, & etiamnum hodiè contingit. Dum enim homines inanem pompam, indulgentias & tam multiplices sanctitates gemmei Papæ & purpuratorum eius Cardinalium respiciunt, facile pauperis, absentisq; (ut opinantur) Christi obliviscuntur. Longè profectò plus & confidentius à Papâ, quàm Christo remissionem peccatorum, regnumq; cælorum petunt & expectant, uti testatur is, qui olim serus fuerunt Pontificij.

CCCXXXVII.

III. Non est necessarium. Etenim Ecclesiâ tali quodam universalis Episcopo non eget, 1. propter pacem & tranquillitatem, partim, quia maledicta est pax, quæ conjuncta cum veritatis abnegatione, & juris divini annihilatione: *αρεῖος ὡν ἰδ' ἐμπροσθ' ὁμοβολίας ἢ ὑπὲρ ἁπλοῦς διασεσις*, scribit Nazianz. orat. 1. de pace; partim, quia & Ecclesia Judaica in Ægypto, & Ecclesia Apostolica in N. T. pacem habuit, etiamsi uno summo Pontifice destitueretur; partim, quia vi predictionum divinarum, summa tranquillitas & pax, hac ultimâ mundi periodo, sperari aut expectari nequit.

CCCXXXVIII.

2. Neq; propter absentiam Christi, quandoquidem ille Ecclesiæ suæ presentissimus est, nec latum quidem unguem ab eâ discessit. 3. neq; propter Scripturæ interpretationem, cum ea & ex ipso textu fluat, & longè melius à multis Episcopis, quàm ab uno expediatur, siquidem multi, plus uno, videre queunt. 4. neq; propter hæreticorum cohibitionem, aut Episcoporum ad ritè fungendum officiû coactionem, tum, quia idem per alios Episcopos conjunctim, aut Magistratum cuiuslibet loci fieri potest; tum quia sine seculari brachio nil efficiet generalis iste Episcopus, & neque contumaces hæreticos, neq; potentes tyrannos, excommunicationem parum curantes, compescet. Temporalis verò potestas summa, Ecclesiastica personæ concedi nequit, si sacris literis standum sit.

332.5. Ne-

DISCURSUS THEOLOGICUS  
CCCLXXXIX.

5. Neque propter infidelium ad fidem conversionem; quia conscientia non sunt cogenda, persuaderi autem possunt etiam ab aliis pastoribus, successum largiente Domino. 6. neque propter novarum legum & constitutionum promulgationem, quia omne necessarium, & ad fidem bonosq; mores pertinens, abundanter in sacris Scripturis revelatum est. Ritus autem & ceremonias ex praxi primitiva Ecclesia habemus: & si in iis quid immutandum veniat, hoc à toto corpore Ecclesiae, non uno membro peragendum est. 7. neque propter Conciliorum convocationem, quia Imperatorum & hoc olim fuit, & etiamnum esse debet. 8. neque propter Episcoporum electionem aut ordinationem, cum illa ab Ecclesia tota, ista ab aliis Episcopis fieri queat & debeat.

CCCXL.

9. Neque propter unitatem & consensionem in fide. Etenim Ecclesia Apostolica & primitiva idem sentiebat per omnia, unum tamen summum Papam non agnoscebat. Præterea licet in Papatu propter dependentiam ab uno capite, magna unitas & concordia esse videatur; attamen illa non est vera, sed sæpius simulata & Ischariothica; non est libera, sed coacta, non est intrinseca & essentialis, in fidei conformitate, sed extrinseca, in ceremoniis saltem & externo cultu consistens; non est totalis, sed duntaxat partialis, siquidem Pontificii saltem unum sunt ratione caudarum, ut vulpes Samsoniane, quatenus annexi sunt ad suum Papam, inter se verò & ratione capitum sunt divisi, quod tum ex varietate opinionum, tum ex diversitate & contrarietate monasticorum ordinum apparet. Sic videmus, quòd Pontificatus iste ad veram fidei unitatem, non solum non profit, sed etiam multis modis obsit.

CCCXLI.

10. Neq; propter Ecclesie universalis gubernationem; Quandoquidem illa non est quiddam à particularibus Ecclesiis distinctum & realiter diversum. Nam Ecclesia Catholica totum locale est, ut vocant, nihilq; aliud, quàm omnes particulares simul sumte. Igitur si hæ per suos Episcopos & Pastores bene gubernata fuerint, felix etiam erit totius Ecclesie catholica status; neq; necessum est, ut præter speciales doctores unus quidam generalis præficiatur, cum ea, à particularibus, non sit alia, & diversa quedam Ecclesia. Sicut igitur œcumenica Ecclesia non numero, sed consociatione una est; ita etiam non requirit unum numero pastorem sed  
suffi-

## DE REGIMINE ECCLESIASTICO.

*Sufficit gubernatio specialium Episcoporum, qui etiam unum sunt caput, sed unitate consociativâ, non numericâ.*

### CCCXLII.

11. Neque propter controversiarum decisionem, quia ista in Scripturâ & satis sunt decise, & decisas esse sufficienter demonstratur à Pastoribus Ecclesie, præsertim in Concilio congregatis, qui modus in primitiva Ecclesia fuit observatus; ubi non unus judicabat de orta controversia, sed conveniebant pastores, & communibus votis, secundum Scripturarum tenorem, lites Ecclesiasticas componebant. Sicut igitur tum temporis benè tollebantur dissidia, licet uni summo Pontifici judicium non deferretur: ita & adhuc nostro tempore tolli poterunt, ita, ut Papæ iudicio & determinatione nullatenus opus habeamus.

### CCCXLIII.

Præterea, sô hoc sit officium Pontificis, cur eo non perfungitur? cur non componit lites & controversias, magno numero in Romana Ecclesia reliquas? Extremè jam dissentiunt eius affecte quoad articulum de potestate Pontificis temporali, quam alii indirectè, alii directè & jure divino ipsi concessam esse autumant. Editus est hoc ipso anno liber posthumus Guilielmi Barclay fcti, in quo Pontifici temporalem potestatem jure concessam haud esse, multis rationibus probatur. De auxiliis gratiæ & viribus liberi arbitrii: de peccato originali; de congruo & condigno; de justitia habituali & actuali, aliisque, similibus summis fidei articulis quanta inter ipsos est dissensio? Quod si autem à Papa in Ecclesiam hic usus redundare debet, ut lites faciliùs tollantur, cur judiciario suo munere non perfungitur? Cur tacet, cur mussitat & Ecclesiam distrahi patitur? Aut enim non vult, aut non debet, aut non potest istas controversias componere. Si non vult, negligens est & invidus: Si non debet, universalis iudex non erit: Si non potest, cur ob hanc causam primatum & Episcopatum œcumenicum ipsi permitteremus?

### CCCXLIV.

12. Neque propter abusuum abrogationem. Etenim multi ex Pontificiis fatentur ipsi, in Ecclesiam Romanam irrepsisse abusus plurimos, uti ex Cassandri consultatione & Adriani VI. confessione constat. Num autem à primo reformationis tempore, vel aliqua saltem facta fuit immutatio? Neutiquam sed omnia permanent in antiquo statu idololatræ: & licet non nihil cautiùs loqui didicerint, rem ipsam  
O tamen

## DISCURSUS THEOLOGICUS

tamen strictè retinent. Promisit equidem Adrianus Pontifex, se pedetentim errata & abusus istos emendaturum, sed rectè adiecit B. Lutherus, vocem pedetentim ita intelligendam esse, ut centum milia annorum inter singulos passus aut pedes intercederent. Indicare nimirum voluit, Pontificem suam synagogam nunquam esse reformaturum. Cum verò Papa amplius non audiretur, nec eius iudiciis starent nostri Theologi, feliciter reformata fuit Ecclesia, omnesq; abusus brevi tempore proscripti sunt, & penitus exterminati. Ex his ergò patet, quàm nulla omninò sufficiens causa & ratio dari queat, ob quam generalem Pastorem & Episcopum eligi, totiq; Ecclesie præfici necessum sit.

CCCXLV.

IV. Est impossibile. Non enim reperiri potest unus vel tanta sapientie, ut omnes casus discernere, vel tanta potentie, ut omnes ad suam sententiam recipiendam cogere possit. Mosi impossibile erat unicum populum regere, Exod. 18. Quomodo igitur Ecclesiam per universam terræ orbem dispersam, unus gubernabit? Apostoli immediatè assistentem habebant Spiritum S. neq; tamen ullus eorum tantas habebat vires, ut universam Ecclesiam vel plantare, vel plantatam gubernare posset, uti ex divisione & partitione operarum euidenter constat. Quòd si Moses si Apostoli tanto oneri ferendo pares non extiterunt, neq; hoc tempore reperietur persona satis idonea, præsertim cum jam donorum sit partitio, nec in unum omnia conferantur, sed diversis diversa dentur, ut communi consilio & auxilio corpus Ecclesie gubernetur. Neque scrupulum tollit legatorum in singulis locis constitutio. Etenim si gravis oriatur controversia, tum à legatis ad ipsam Papam provocabitur. Semper enim pars adversa urgere poterit, Papam non ita statuere, Papalium legum aliam esse quarendam interpretationem, malè applicari generalem constitutionem ad casum specialem, & qua alia sunt effugia, quibus ipsi abutuntur Pontificii, in decisionibus Scripturæ elevandis.

CCCXLVI.

Tum igitur ad ipsum visibilem iudicem erit proficiscendum, & vox eius coràm audienda; quòd quomodo tandem erit possibile, præsertim quòd ad Ecclesias in remotissimis terræ partibus existentes? Quomodo & quò tempore ex Indià, inter tot latrones & discrimina vitæ, inter tam longa maris terrarumq; spatia: per tam varias linguas, per tot & tanta aquarum, ferarum ac tempestatum pericula cause ista controversæ ad Papam defer-

rspo-

*ri poterunt? Ita ergò Ecclesia in suspensò relinquetur: Ita de fide semper disputandum erit: Ita lites & controversiæ nullo fine terminabuntur.*

## CCCXLVII.

V. Periculosum & perniciosum est. Etenim, si mortuo universali pastore subrogandus foret alius, quanta orirentur in regnis, utpote divis, nec uni Monarchæ subiectis, dissensiones? Quis enim Rex sibi honorificum putaret, si ex suis hominibus œcumenicis iste præsul eligeretur. Hinc ergò occasio daretur distractionibus regnorum, motibus bellorum, aliisq; corruptelis, largitionibus, insidiis, dolis & seditiõibus, &c. quæ mala omnia feliciter præcauentur, si antiqua Aristocratica regiminis forma observetur. Præterea, si apud unum foret summa rerum potestas, & uterque gladius, facile ille plus sibi arrogaret, quàm deberet; facile cristas erigeret, & pro lubitu in Ecclesiâ dominaretur; quidvis in cultu divino mutaret, & recipiendum proponeret; si laberetur in heresim, tota Ecclesia periclitaretur; si qui veritatem defendere vellent, pro arbitrato in ipsos sevirer, sicuti experientia ipsa, & infinita Pontificum exempla, cum magno Ecclesiæ damno, hætenus satis edocuerunt. Primatum igitur Papalem, non tam commo fidelium, quàm detrimento; non tam laudabili Ecclesiæ gubernationi, quàm perniciosæ tyrannidi, & hætenus serviisse, & naturâ suâ servire, indubitanter concludo.

*Questio nona & ultima.*

## Quale tandem sit &amp; esse debeat

Ecclesiæ regimen?

## CCCXLVIII.

ANAZIANZENO dictum est: *δὲι πρὸς τῷ εἰπεῖν ὃ μὴ ἐστὶ, καὶ ὃ ἐστὶν, εἰπεῖν.* Cum igitur hætenus fusè disputaverim de regimine Ecclesiastico, quale non sit, jam colophonis loco vera istius ratio & forma exponenda restat. Illud verò prænotandum est, quòd inter politicam & Ecclesiasticam gubernationem non sit exacta convenientia, ideoq; dum quandam regiminis formam ad Ecclesiam applicaturus sum, non de univocâ ratione & identitate, sed duntaxat de similitudine & analogiâ quadam me loqui existimetis.

DISCURSUS THEOLOGICUS:  
CCCXLIX.

*Vt autem de distinctis distinctè agam, Ecclesia tripliciter considerari potest: ob quam respectuum diversitatem, diverse etiam regiminis formæ assignande veniunt. I. Ratione summi & unici capitis Christi Jesu, Servatoris nostri: quo sensu Ecclesia regimen verè & absolutè Monarchicum est. Etenim hic solus omnia sibi subiecta habet; hic solus legibus solutus est, & in hoc solo omnia Monarchæ requisita essentialia eminenter, & κατ' ἐξοχήν. reperiuntur. Sed de hoc inter nos & Pontificios convenit.*

CCCL.

*II. Ratione ceterius populi Christiani, quo respectu Ecclesia Democratix quodammodo assimilari potest, nimirum quatenus totius populi, & omnium ordinum suffragia ad electionem pastorum adhibentur, & quatenus privilegia, bona, jura & dignitates, non ad hunc vel istum hominem, non ad hos vel istos cœtus alligata, sed toti & universæ Ecclesiæ à Christo data: tradita & concessa sunt. Atq; hoc & nullo alio sensu Matthias Flacius l. de electione Episcoporum, Ecclesiæ regimen statuit Democraticum: quæ certè Bellar. l. 1. c. 5. & 6. præter meritum traducit, cum ipse c. 3. col. 609. fateatur, Monarchiam Papalem ex Democratia mixtam esse, quatenus ex universo populo optimi quique ad Pastorales & Episcopales dignitates evehi possunt.*

CCCLI.

*Quòd si ergò Democraticus status quodammodo dici potest, quando populus se saltè habet passivè, & quatenus ex eo eligi queunt Episcopi: quidni & talis vocari possit, quando populus se habet activè, & quatenus eius suffragia ad Episcopi electionem una adhibentur. Aliàs, & extra hunc respectum, nemo nostrum tam absurdus est, qui Ecclesiam Democratico regimine administrari diceret, cum non apud promiscuam & indiscretam plebem, dispensatio mysteriorum divinorum reposita statuatur. Quæ verò Bellarminus c. 7. l. 1. disputat, nempe Ecclesiasticum regimen non esse merè apud principes seculares; illa haud inviti largimur: neque à D. Brentio aliud assertum fuit, quàm Principibus etiam curam Ecclesiæ incumbere, tum ratione vocationis ministrorum, tum ratione convocationis Conciliorum, &c. non autem quoad actus merè spirituales dispensandos.*

CCCLII.

*III. Ratione ministrorum & pastorum, quo respectu aliam particularium, & aliam catholicæ Ecclesiæ rationem esse dico. Particularis*

res.

res quod attinet, earum regimen quoque particulare est, ideoque, (non dico Monarchicum, sed) Monarchico ex parte ἀνάλογον & simile, quatenus nempe in unâ civitate vel diœcesi, unus quidam constitutus est generalis Pastor aut Superintendens, qui tamen non habet absolutam potestatem, vel in inferiores Pastores, vel in ipsam Ecclesiam, sed tantum ordinis dignitatem, & inferiorum inspectionem, quos visitare debet, & monere, si errent; corripere, si peccent; docere si ignorent; confirmare, si titubent, &c. Sed neque hic multum nos inter & Pontificios controversatur.

## C C C L I I I.

Catholicam verò & per totum terrarum orbem diffusam quod spectat Ecclesiam, de eius regimine magna est exorta disceptatio. Ut igitur clarè, & sine ambagibus, quod sentimus, edisseramus, Ecclesiasticam gubernationem quoad Pastores & Episcopos, non Monarchicam, & ab uno dependentem; sed potius Aristocraticam, vel Aristocraticæ similem esse, docemus, credimus & confitemur.

## C C C L I V.

Etenim satis iam probatum fuit, non posse, non debere constitui unum visibilem & universalem totius Ecclesie Episcopum, cuius sit, omnium particularium Ecclesiarum curam gerere; ideoque ratio Monarchica omnis expirat, locumque nullum invenit. Quoniam tamen Pastores Ecclesiam regunt, utque omnes pari dignitate & autoritate sunt præditi, licet ordo quidam inter istos observetur; hinc Ecclesie regimen apud optimates positum, atque sic Aristocraticum esse invictè concluditur.

## C C C L

Docet porro hoc ipsum, I. æqualis Apostolorum cura, & Ecclesiarum inspectio, de qua supra. Non erat inter eos Monarcha aliquis, sed omnes & singuli Ecclesias pariter docebant, controversias decidebant, aliisque ad Christianum populum regendum necessaria munia conjunctim expediebant. II. ablegatio Christi ad Ecclesiam, Matth. 18. v. 17. per quam unus quispiam Pastor & Episcopus intelligi nequit, (cum vox ista congregationem significet) sed plures notantur Pastores, seu Ecclesia presidentium Concilium, ut loquitur Basileensis Synodus, referente Aenea Sylvio in Actis. Pontificij vocant Ecclesiam representativam. Quòd si igitur ultimum in decidendis controversiis iudicium, non uni, sed multis Episcopis demandatum est, Ecclesia certè non μοναρχικῶς, sed ἀριστοκρατικῶς gubernabitur.

## C C C L V I.

III. Apostoli Pauli admonitio, ad Episcopos Ephesinos facta; Actor.

## DISCURSUS THEOLOGICUS

*Actor. 20. v. 28* Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Hic inspectio & regimen Ecclesiae vicissim non uni, sed multis injungitur, ideoq; horum respectu Aristocraticum esse, denuò concluditur.*

### CCCLVII.

*IV. Praxis primitivæ Ecclesiæ. Etenim Theologi Ms gdeburgenses in primis historia sua centuriis, & septimo quovis capite, sufficienter & perspicue ostendunt, quomodo Ecclesia olim ab Episcopis, communibus consiliis, operisq; fuerit gubernata. Consociata erant Ecclesie, & Ecclesiarum Episcopi, ita, ut si quis exortus esset casus dubius, vicinus Episcopus ad vicinum statim scriberet, & quid facto opus esset, quæreretur. Quòd si autem res componi privatim non poterat, instituebantur Synodi provinciales, in quibus sententiæ conferebantur, & tandem decisio addebatur. Quando verò pars altera acquiescere volebat, sed alios etiam conventus indicebat, Synodiq; provinciales sibi ipsis erant contraria, provocabatur ad œcumenicum & generale Concilium, ideoq; ab Imperatoribus evocabantur Ecclesiarum Episcopi ad certum locum, in quo confluentes, post controversiam diligenter examinatam, auditâ parte utrâq; ex Scripturis quid statuendum esset, hausserunt, omnemq; sententiam certis canonibus vel decretis inclusam proposuerunt, & executionem Imperatoribus, politicoq; Magistratui reliquerunt.*

### CCCLVIII.

*Talis erat forma antiqui regiminis Ecclesiastici; nimirum Aristocratica, non Monarchica. Si namq; tum temporis, unus quidam Episcopus, pro infallibili omnium controversiarum iudice habitus fuisset, cur quæso tantis sumptibus & laboribus convocata essent Concilia? Quòd enim ab uno expediri tum potest, tum debet, ad id multos adhibere, annon & stultum, & iniquum est?*

### CCCLIX.

*Quòd si igitur Christi institutionem non immutare, si Apostolicam gubernationem imitari, si primitivæ Ecclesiæ consuetudinem observare, si tyrannidi occasionem præripere, & omnia decenter in Ecclesiâ fieri voluerimus, non amplius uni Papæ aut Episcopo Romano regimen & dominium universale permittendum est, sed solum eius confringendum, gladius uerq; emanus excutiendus, & particularium Ecclesiarum cura atq; inspectio Episcopis particularibus equaliter committenda est; qui si suo officio recte fungantur singuli, tum etiam Catholice Ecclesiæ, quæ nihil aliud, quàm particularium collectio, optimè provisum erit.*

*Quòd*



## O C C L X.

*Quòd si verò ipsi, vel in doctrinâ vacillare, vel in pastorali munere negligentes esse incœperint, Magistratus politicus, partim severè admonendo, partim deponendo, aliosq; digniores substituendo, suo non deerit officio: quin etiam ad controversiarum decisionem, communes Ecclesiarum consociatarum, & inter se devinctarum opera, medium erunt efficacissimum & convenientissimum. Ita demum sanctificabitur nomen Patris nostri, qui in cœlis est; adveniet regnum eius, & fiet voluntas eius, sicut in cœlis, ita & in terris.*

## O C C L X I.

*Hunc ipsum ardentibus votis invocamus, ut lucem Evangelii in regionibus nostris accensam, clementer conservet, Ecclesie fidos Pastores, Pastoribus benignos Nutritios, Nutritiis verum religionis zelum, & cum zelo, regnorum tranquillitatem, vitæque longævitatem, ex Alto paternè largiatur: quò sic regnum Christi inter nos crescat, Antichristi decrescat; illius gloria augeatur, hujus minuatur; erga illum amore, erga hunc odior epleamur, tandemq; post feliciter exactum certamen, coronam justitiæ immarcessibilem, & latam sempiternæ vitæ hereditatem, cum omnibus electis & beatis Angelis consequamur: Ipsi soli benedicto Deo sit laus & gratiarum actio; Papæ autem maledicto, velut Antichristo in Scripturis prædicto, sit ignominia & confusio, in perpetuas seculorum æternitates, Amen.*

**F I N I S.**





